

IN NOMINE JESU!
ΠΡΩΤΟΝ ΨΕΥΔΟΣ

VEL

PRIMUM FALSUM
OMNIUM HÆRESIUM,

DISSERTATIONE THEOLOGICA
CONSIDERATUM,

Quam

ATHENIS LEUCOREIS
PRÆSIDE

VIRO Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,

DNO. JOHANNNE Deutschmann/

SS. Theol. Doctore, ejusdemq; Facultatis Profes-
sore Publico longè celeberrimo, ac Electoral. Alum-
norum Ephoro gravissimo,

*Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore studiorum
suorum, omni observantia ac reverentia cultu ata-
tem prosequendo,*

Placidæ Theologorum συζητησὶ
publicè proponit

M. JOHANNES MÜHLMEISTERUS,

Islebiensis Saxo, SS. Theol. Stud.

Ad d, Mens. Maji Anno MDC LXXII.

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

Coll. diss. A
25, 83

cl. XXV. 83.

DEOTON PEYDOS

PRIMM FALSLIM

OMNIUM HERESIM

DISSERTATIONE THEOLOGICA

CONSIDERATA

PRÆSIDIO

DR. JOHANNES

22. Theol. Doktor



in Pflanzung

der evangel. Kirche

in Dresden

am 1. Decembris 1771

Dr. Johann

in Pflanzung

der evangel. Kirche

in Dresden

am 1. Decembris 1771

Dr. Johann

in Pflanzung

der evangel. Kirche

in Dresden

am 1. Decembris 1771

Dr. Johann

in Pflanzung

der evangel. Kirche

ΠΡΩΤΟΝ ΨΕΥΔΟΣ,
 VEL PRIMUM FALSUM
 OMNIUM HÆRETICORUM
 DISPUTATIONE THEOLOGICA
 EX VERBO DEI
 PROPOSITUM.

Magnam Hæresis malum est. Nec enim humana mens plane concipere, nec humana lingua plene, vel sufficienter exponere poterit, quantum in *hæresi* malum sit. Avertit hæresis à Deo, qui summum est bonum, & convertit ad *Diabolum*, qui certo quodam modo non immeritò summum dicitur malum. Veritatem cælestem, quæ divinorum arcanorum & mysteriorum speculum, malitiosè pervertit, suisq; detorsionibus obscurantibus prorsus invertit. *Theologiam*, & salutis consequendæ doctrinam, mutat in *Matæologiam*, vel *Archeologiam*, & certam miserrimæ damnationis officinam. A divina verè felicitatis via mortales abducit, & ad devia variorum errorum, ac inde pendentium æternorum suppliciorum homines miseros seducit. Breviter, *Hæresis tota malum est*, & ex *hæresi* malum omne pendet. *Hæresin* igitur cane pejus & angve vitare debemus, ne malum omne, malum totum incidamus. Ut autem eam vitare queamus, accuratius ipsam contemplari debemus. Quod enim malum, ut malum, recte non cognoscimus, illud incauti sæpius appetimus. Turpitude verò mali si nostris oculis obversatur, & mens, & voluntas, & omnis affectus hominis illud aversatur. Et certe maxima dicitur *Hæreseos* turpitude, quæ jure suo MONSTRUM MONSTRORUM appellatur. Nam sive respiciamus ejus *ortum*, monstrosus ille Spiritus *Cacodæmon*, *hæresium Pater* est, qui per monstrosam apostasiam à Deo, per monstrosam phantasiam in semetipso, per monstrosam pseudoprophetiam, seu verbi divini pseudherminian, hæresium autor evasit: sive spectemus ejus *statum*, in

monstrosis divinatorum mysteriorum, vel authenticarum revelationum corruptelis tota consistit: sive consideremus *effectum & fructum*, mera falsarum opinionum monstra *Hæresis* gignit. *Hæresis* ubiq; *monstrum* est. *Monstrum* hoc averfari non tantum, sed etiam detestari debemus. *Hæreseos* autem averfatio non fit absq; cognitione; cognitio non fit absq; meditatione. Freqventer igitur *Hæreseos* meditationem instituere debemus, ut planius monstrosam ejus turpitudinem cognoscamus, & eo rectius ejus exitiosam conditionem averfari, vel detestari discamus. Cum autem in hoc *Monstro Monstrorum* vere *Monstrorum* concursus & confluxus sit, missis nunc aliis *Monstrorum* mysticorum respectibus *πρωτον ψευδῶς* *Hæresium* modo paucis, juxta cynosuram Verbi Dei, contemplaturi sumus. *Deus Pater*, *Fons omnis veritatis*, oculos mentis, veraq; fidei nobis aperiat: *Filius Deus*, ipsa *Veritas*, *λόγος Patris internus*, *λόγον* mentis nostra, conceptusq; veritatis ex lumine verbi pariat & producat: *Spiritus Sanctus*, qui *Spiritus veritatis*, afflatu suo conatibus nostris benedicat, è verbo Dei notitiam *Hæreseos* accendat, veritatis eloquium instruat, & laborem presentem ad *Divini Nominis & Numinis gloriam*, certam *Hæreseos* notitiam & facilem ejus fugam dirigat! Sit igitur *Thesis*

1. *πρωτον ψευδῶς* *Hæresium* consideraturi nec oleum, nec operam perdemus, si primum objectum hoc generaliter lectori benevolo sistemus. *Objectum* hoc certe jure suo dicitur (*1*) *arduum & difficile*. Nam *Hæresin* unam rectè vel cognoscere, vel ad lubrica sua fundamenta revocare, vel *πρωτον* ejus *ψευδῶς* indagare, magnæ semper difficultatis exitit: mendacium unum sibi non constat, multò minus tot falsarum opinionum confluxus, in tota quadam *Hæresi*, sibi constare poterit. Quid autem dicemus de *primo falso Hæresium omnium*? non obvium judicabitur illud his, qui *τὰς μεθοδείας τῆς πλάνης & σατανᾶ*, quæ dantenus saltè perspectas habent. Lubricus est, & nuspiã ac nunquam certo *Diabolus*, unde nec ad primum aliquod principium *Hæreticas* ejus seductiones referre, statim erit in proclivi. *Μυριοτεχνίτης* *Satanas* est, qui modis infinitis fallere, dogmata falsa mo-

sa mo-

fa modis innumeris invertere, principia quoque falsarum opinio-
 num modis innumerabilibus pervertere novit. (2) *Necessario*:
nam juxta Paulum 1. Cor. XI. 14. oportet hæreses inter Chri-
stianos esse, sic etiam oportet Christiano hæreses nosse; quod
 enim inter Christianos in Ecclesia reperitur, à verè piis jure me-
 ritissimo cognoscitur. Christianus Ecclesiæ civis est. Turpe fo-
 ret autem civi, si statum suæ civitatis ignoraret, & ea, quæ civi-
 tatem corrumpere mala, satis mature non cognosceret. Sed
 maximè Theologo malum hæreseos cognoscendum, qui mor-
 bum hæreseos, tanquam Medicus ab Ecclesiæ corpore, mediis
 divinitus præscriptis, repellere debet. (3) *Utilissimum*, quia si πρῶτον
 ψεύδος alicujus hæreseos ritè cognoscitur, falsarum opi-
 nionum fons aperitur, turpitudine hæreseos ostenditur, distantia
 falsitatis à veritate perspicitur, incommodorum multitudo pro-
 ducitur, veritatis amor & odium falsitatis in hominum menti-
 bus accenditur, & cæsus orthodoxus ab heterodoxis rectè dig-
 noscitur, & quæ sunt aliæ plures utilitates, quæ copiosius ex
 πρώτης ψεύδης vera cogitatione propullulant. (4) *consideratione*
dignum: nam si divina prorsus est veritatis dignitas, ita quidem
 ut in qualibet ardua quæstione tum *fundamenta veritatis*, qui-
 bus ipsa confirmatur, tum *ejus munimenta*, quibus contra falsita-
 tem ea defenditur atque munitur, accurate cognoscenda sint, mul-
 to magis *caput ipsum hæreseos, vel primum materiae principium*
consideratu dignum erit, Serpentis instar hæresis repit,
& principium suum ipsum Diabolum, hæresium omnium Sa-
rorem, refert: huic serpenti si caput amputetur, nullum à reli-
quo corpore periculum metuendum. Amputare verò caput hæ-
reseos non possumus, nisi luculenter illud cognoscamus: & sicut
capite contrito Diabolus, paradisi serpens, nihil amplius autori-
zatis & potestatis obtinet; ita si πρώτον ψεύδος alicujus hæ-
reseos destruat, nihil soliditatis trunco hæreseos remane-
bit. (5) *rarum*: dicitur alias, *omne rarum charum & carum*: jam
 autem non adeo frequens hujus objecti tractatio suscipitur, ut
 πρώτον ψεύδος peculiater in hæresibus refutandis notetur, ex-
 plicetur, & refecetur; rarissimè verò πρώτον ψεύδος om-
 nium

nium hæresium à Doctoribus tractatum invenitur. (6) *obscurum*: nam quia plerumq; non versatur in aprico respectu controversiarum particularium, ex quibus fontibus opiniones falsæ promanent; sic multo magis obscurum esse deprehenditur, quodnam sit *πρῶτον ψεῦδος omnium hæresium*: cum primis quia Doctores hanc materiam non adeo frequenter attigerunt, nec eam plenius in scriptis suis excoluerunt & exposuerunt. Propter has & alias *objecti præsentis proprietates*, facile cuivis apparet, quod *πρῶτον ψεῦδος hæresium* tractationem debitam mereatur.

2. Non autem omnia, nec pleraq; , sed pauca tantum de hac materia nunc annotabimus, dum non integrum tractatum, vel justam commentationem, & plenam diductionem, de hoc *principio falsitatis* intendimus, sed theses saltem quasdam ad disputandum proponimus. Ne verò circa hoc *principium falsitatis* & omnis confusionis confuse versemur, certam nostræ tractationis methodum eligimus, ut ordine procedere possimus. *Generaliter* autem de duobus saltim capitibus agemus (I) *De Primi falsi hæresium ὀνοματολογία* (II) *De primi falsi hæresium Ποσυματολογία*.

3. Circa *πρῶτον ψεῦδος onomatologiam* prolixiores non erimus, cum primis quia magis *res*, quam *verba* hic attendere debemus. Dicitur autem hoc *objectum primum falsum*, termino non *incomplexo*, sed *complexo*, cum evidentior terminus incomplexus nec in usu sit, nec commodior haberi queat. Vocatur *falsum*, quia *veritati* contrarium est, nam *veritati* falsum opponitur. Et dicitur *falsum* tum respectu *principii*, quia non ab alio, quàm à *Spiritu ἄψυ falsitatis* 1. Reg. XXII. 22. à *patre mendacii* Job. IIX. 44. vel ipso *Diabolo*, suum habet ortum: tum ratione *objecti*, quia quoad objectum immediatum non circa *verum*, sed *apparens*, quod falsam veri speciem mentitur directè versatur, licet mediatè quoq; *verum* contaminet, & aliter illud præsentando, circa *verum* occupetur: tum ratione *medii*, quia per *falsos conceptus mentis* existere solet, & per *falsa verba*, vel *scripta* promulgatur: tum ratione *modi*, quia meram fallaciã includit,
& à

& à veritate prorsus recedit, & hoc pacto veritatis puritatem atq; sinceritatem corrumpit: tum ratione *scopi*, quia Diabolus hoc falsum intendit, *partim* ut hoc instar fundamenti falsis aliis ortis substernat, *partim* ut inde plura falsa deducat, *partim* ut hominem miserum hoc falso vel apertè, vel operte fallat atq; decipiat: tum ratione *effecti*, quia per hocce falsum homo miser à Diabolo fallitur, dum luce veritatis spoliatur, & ad errorum tenebras seducitur, & homo falsus ita, vel deceptus, alios quoq; fallere sulcipit. Nam horum Zizaniorum, vel mendaciorum uberrimus proventus est.

4. Vocatur præterea *primum* falsum non sensu *absoluto*, quod omni respectu primum sit; sæpius enim non tam ratione *inventionis*, quam ratione *intentionis* primum esse solet, & non tam ratione *cognitionis*, quam *suppositionis*, *primum* esse dicitur: sed (1) *sensu comparativo*, quia si cum aliis falsis confertur, quæ videntur hinc orta, reliquis palmam præripit, dum ex hoc reliqua, tanquam ex scaturigine promanant. (2) *sensu discretivo*, quia sic appellatione peculiari distinguitur à reliquis inde pendentibus, dum reliqua falsa, vel secunda, vel orta vocantur, hocce primum appellatur. (3) *sensu illativo*, quia reliqua falsa communiter ex hoc falso vel inferuntur, vel deducuntur. (4) *sensu constitutivo*: licet enim plerumq; mendacia sint scopæ dissolutæ, vel instar arenæ cohæreant, sibiq; nullatenus consentiant, tamen quoad fieri potest, in *hereseos* alicujus constitutione Diabolus, velut simia Dei, structuram orthodoxæ veritatis imitatur, & connexionem aliquam obtinere conatur: dum igitur hoc primum falsum non *ex alio*, sed *ex se* deducitur, instar *principii* cujusdam assumitur, & *fundamenti* loco ponitur, atq; reliquis pravis opinionibus subjicitur, non immeritò *primum falsum* in hac constitutione sua nuncupatur.

5. Dicitur autem *primum falsum* non *de jure*, quod jure vel existere, vel sic etiam esse debeat; nihil enim juris in falso reperitur, sed inter jus & veritatem vera deprehenditur harmonia; cum autem in falso mera sit anomalia, nec illud vel cum veritate, vel etiam omnimode secum consentiat, à jure
proc-

proffus alienum, ipsiq̄ve contrarium esse perhibetur: sed *de facto*, quia de facto Diabolus etiam hocce *falsum primum* ex studio mendaciorum invenit, tanquam mendacii pater illud protrudit, miseris hominibus obtrudit, & mentibus ac lingvis ipsorum fallaciter intrudit. Ut igitur omnia sint *facti*, nihil *juris in primo falso*.

6. Hinc dicitur *primum falsum* (1) non *prioritate natura*, quasi *falsum* natura prius *vero* sit: nam *veritas* in ipso Deo fundatur, & essentialis ejus proprietates appellatur; adeoq̄; sua natura prior est *falso*, quod dicitur perniciosissimus *effectus creaturae*; valet etiam hic illud: *Unumquodq̄; verissimum est antiquissimum*: inventa lege veritatis, inventae fraudes fallaciarum. (2) nec *prioritate temporis*, quia communiter *verum* prius est, post existere *falsum* incipit: & olim in paradiso *verum* DEi verbum prius tempore manifestatum, *Gen. II. 16.* post archihæreticus Diabolus illud suis fallaciis & mendaciis *Gen. III. 1.* coram protoplastis nostris corrumpere cepit, dum homines nihil tale cogitantes suis corruptelis sefellit, & *falsum* illud *primitivum* introduxit. (3) nec *prioritate dignitatis*, quia nulla proffus in *falso* dignitas est: omnis dignitas *veritati*, nulla *falsitati* debetur: & licet Satanus suas corruptelas *falsas* exornet sæpius & extollat, tamen est fictitia, vel meretricia dignitas, quæ genuino caret fundamento: honore *falsitas* indigna, pudor & ignominia sunt ejus propria. (4) nec *prioritate ordinis*: cum enim *veritas* sit ipsius *rei*, vel *objecti*, *falsitas* autem, dum vel in *conceptibus*, vel in *verbis*, vel in *scriptis* reperitur, sit *subjecti*, facile patet, quod *verum* etiam ordine prius sit *falso*, dum *verum* in ipsa *re* fundatur, & ad legitimam ejus cognitionem ordinatur, sed *falsum* extra *rem* versatur, & ipsum *verum* variis fallendi studiis corrumpere conatur. (5) nec *prioritate causalitatis*: nam in *falso* quoque per se nulla *causalitas* est, quæ proprie saltem in hoc genere *veritati* competit, quæ verè juxta Dei intentionem, juxta rei conditionem operatur, quas operationes *falsitas* impedit atq̄; corrumpit, adeoq̄; cum *falsitas* potius in *veri* privatione, vel destructione, quam in *rei*, *veriq̄;* cujusdam positione consistat, hinc facile patet,

patet,

patet, quod proprie loquendo nec *verum*, nec *proprie dicta*, multo minus *prima causalitas* ei convenire queat.

7. Sed *primum* dicitur (1) *ratione sui*, quia per modum *principii* cujusdam, abusive sic dicti, se habere videtur, dum $\alpha\pi\alpha\tau\omicron\nu\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$ communiter dicitur, & suo modo est, non quod tale *debeat esse*, sed quod *de facto fit*. (2) *ratione oppositi*, quia *primo principio*, potissimum *cognitionis*, opponitur: ut enim *primum principium cognitionis est primum verum*, ita hoc, per alicujus *principii* modum, in mendaciis & hæresibus *primum falsum* nuncupatur. (3) *ratione correlati*, quia *primum hoc falsum* relativè consideratur, dum ad alia *falsa* refertur, quæ serie copiosa, tanquam ex fonte, dicuntur ex hoc *primo falso* promanare. (4) *ratione scopi*, quia Diabolus, omnium hæreticorum patriarcha, *primum hocce falsum* intendit, & in omnibus reliquis mendaciis ad hocce *falsum* respicit, & undiquaq; fallendi media conquirat, ut hoc *primum falsum* obtinere possit: licet igitur sæpius sit *ultimum*, vel *non primum*, in executione, tamen est *primum* in intentione.

8. Notandum autem, quod non uno modo *Primum falsum* dici queat. Nam (1) *respectu disciplinarum*, *primum falsum* sumitur vel *sensu Metaphysico*, quasi detur *primum falsum Metaphysicum*, sicut *Manichei* fingunt *primum & summum malum*: sed tale *primum & summum falsum* non datur, vereq; dicitur *non Ens*: nam *primum & summum Ens*, *Deus* videl. est *primum verum*, qui nullum aliud *primum falsum* juxta se potest admittere. *Falsum* igitur & hoc, quod detur aliquod *Ens primum falsum*, à quo cuncta *falsa* dependeant: licet detur *Ens* aliquod *ortum*, vel *Non primum & creatum*, nim. *Diabolus*, à quo cuncta *falsa*, per abusum intellectus, suam originem habent. Vel *sensu grammatico*, sic *primum falsum*, *ratione significationis* dicitur unumquodq; *falsum*, quod aliorum respectu *primum* est. Vel *sensu Logico*, idq; duplici respectu, nimirum partim *respectu partis generalis*, sic juxta *Philosophum Enunciationibus* primo dicitur *verum* vel *falsum* inesse, partim *respectu partis specialis*, qua *ratione* $\alpha\pi\alpha\tau\omicron\nu\psi\epsilon\upsilon\delta\omicron$, vel *primum falsum* *ratione materialis illationis*

B

onis

onū vocatur illud *primum falsum principium*, ex quo reliqua falsa per seductores inferuntur. Et hic sensus *generaliter* hic intenditur. Hac ratione vero sumitur iterum *generaliter & indeterminate*, quatenus apud *Logicos* consideratur, sine determinatione ad aliquod certum objectum: *specialiter & determinate*, quando πρῶτον ψεῦδος vel primum falsum ad certam aliquam materiam restringitur, qua ratione datur πρῶτον ψεῦδος *Metaphysicum, Physicum &c.* in Philosophicis: datur πρῶτον ψεῦδος in *Theologia, Jurisprudencia, Medicina*; Nos h. l. πρῶτον ψεῦδος *Theologicum* attendimus.

9. Sic & aliis respectibus *primum falsum* ὁμωνύμως accipitur. Nam (2) *Respectu Diaboli* contigit *primum falsum* in ejus apostasia, quando lapsu turpissimo veritatem sibi concreatam reliquit, & à DEO defecit, unde Christus testatur *Job. IIX. 44.* quod Diabolus *in veritate non steterit*: ubi Christus duo tribuit Satanæ (a) quod *in veritate non steterit* (b) quod *veritas non sit in ipso*: illud respicit primum, hoc ortum falsum; illud infert primam cacodæmonis ἀποστασίαν, hoc ejus ἐνέργειαν: nam si Diabolus in concreata veritate stetisset, nullum in ipso locum *primum*, vel *ortum falsum* habuisset. (2) *respectu hominis*, varie *primum falsum* considerari potest: sic *respectu Evæ* fuit *primum falsum in mente*: Quando falsum à Diabolo probatum primum intellectu concepit, & cogitando consideravit: *ortum falsum* fuit in ore, quia de falsis colloquium, falsis plenum, cum Satana præter debitum instituit. *Respectu protoplastorum* conjunctim consideratorum *primum falsum* fuit in muliere, quia *1. Tim. II. 14.* non Adam primum est seductus, sed primo mulier seducta fuit in prævaricatione: sed *ortum falsum* fuit in Adamo, quia mulier ad falsa, per Diabolum disseminata, quoq; maritum seduxit *Gen. III. 6.* *Respectu totius generis humani* fuit *falsum primum* in protoplastis, sed *ortum* à primis parentibus in omnes posteros propagatum, ita ut Spiritus S. disertis verbis testetur, quod *omnis homo sit mendax Psal. CXVI. 11.* (3) *Respectu Verbi DEI* reperitur *primum falsum* *Gen. III. 1.* ubi prima corruptio reperitur in seductione protoplastorum, *ortum falsum* postea tum in idololatriis, tum in hereticis, tum in aliis errantibus

bis

bus amplissimum successum, studio *μυροτοχίτης* Cacodæmonis habuit. (4) *Respectu dogmatum*: sic *primum falsum*, vel *πρώτον ψεῦδος*, aliud est *partiale*, *specialis* cujusdam dogmatis in aliqua *heresi*, aliud est *totale*, quod sæpius in *heresi* quadam tota supponitur, quemadmodum totius *hereseos Calvinianæ* *πρώτον ψεῦδος* dicitur *Absolutum decretum*, totius *hereseos Papistice*, *Primatus papa* &c. (5) *Respectu heresium* dicitur *πρώτον ψεῦδος* vel *speciale*, *determinatum & proprium*, quod uni potissimum *heresi* competit & specialiter ad eam determinatur; vel *generale*, *indeterminatum & commune*, quod *generaliter* extenditur ad *omnes hereses*, ad quamlibet earum determinari & applicari potest, adeoque *commune* dicitur omnibus *heresibus*, de quo *primo falso* nunc potissimum solliciti sumus. Hæc de *onomatologia* sufficient.

10. Ad *pragmatologiam* progredimur, & consveta pariter *methodo* præsentem causam aggredimur, ita quidem ut consideraturi simus (I) *Hujus primi falsi Existentiam*, vel *quæstionem An sit*, *Num videl. detur primum falsum Omnium hereticorum?* (II.) *Hujus primi falsi naturam*, vel *Essentiam*, *quid sit illud generale falsum Omnium hereticorum?*

11. Quod attinet *Existentiam* *hujus primi falsi generalis*, certe nec pauca, nec levia dubia produci possent, quæ *primi falsi generalis Existentiam* labefactare valerent. Nam (I) si *Diabolum* *hujus primi falsi* conditorem & patronum respicimus, is *μυροτοχίτης* est, & mille artifex, qui nihil magis, quam *ordinem* fugit, nihil magis, quam *confusionem* intendit, unde ne utquam in *praxi* sua principiorum ordinem attendit, & è *primis secunda*, vel *orta* deducit, sed pro lubitu semper modo hanc, modo aliam *μυροτοχίτης* adsumit, nec certa via homines seducere contendit. Hinc facile fit *argumentum*: *Quicumque nullum ordinem attendit & intendit, ille nec ordinem primorum & ortorum principiorum observare contendit, cum, negato genere, negentur omnes species: Diabolus in omnibus suis operibus, & sic etiam in heresibus disseminandis, nullum ordi-*

nem attendit & intendit: Ergò nec ordinem primorum
& secundorum principiorum observare contendit.

12. Resp. (1) per limitat. Quicumq; nullum ordinem intendit & attendit, ille cum, quando hoc facit, quoties, & in quibus objectis, & quatenus id facit, nec ordinem primorum & secundorum principiorum observare contendit: sic conceditur totum argumentum. (2) quia Spiritus malus *μυειοτεχνίτης* est, & sagacissimus Dæmon, ideo non semper ordinate, nec semper confuse, sed modo per confusionem, modo per ordinem procedit, ut per sophisticum ordinis usum eò facilius confusionis viam hominibus obicere queat. (3) Dist. inter usum & abusum: ordine quidem, adeo libenter non utitur, quoties tamen per ordinis abusum homines fallere potest, illud nunquam intermittit: (4) Minor simpliciter vera non est: cum enim Diabolus sit *DEI simia*, non certe prorsus omnem ordinem respuit: sed ut *DEUS* in suis veris operibus pulcherrimum ordinem observavit, ita Diabolus, *DEI simia*, pariter in falsis & fucatis suis conaminibus etiam fucatum ordinem, & coloratam pulchritudinem representare gestit. (5) Dist. inter ordinem *DEI bonum & fructuosum*, qui tendit ad *DEI* creatoris gloriam & creaturarum elegantiam atque sufficientiam, & inter ordinem *Diaboli malum, atque damnosum*, qui respicit *DEI* creatoris ignominiam, creaturarum miseriam, & Cacodæmonis *Ἰπικαιρονακίας*: illius est odor, huius amator Diabolus, illum destruit, hunc exstruit, illum nec intendit, nec attendit, nec observare contendit, hunc & intendit, & attendit, & observare atque conservare viribus omnibus contendit, quemadmodum Diaboli praxis, etiam in *S. L.* tradita, luculenter ostendit.

13. (II) *Ἀπρωίη ψεδός materia*, quæ dicuntur esse *hereses*. Nam sive qualibet heresis spectatum, sive conjunctim omnes *hereses* spectentur, sunt *scopæ dissolutæ*, sunt errores non tantum à veritate, sed etiam à se mutuo longe lateq; discedentes, sunt mendacia nunquam & nusquam sibi constantia: nam sicut τὸ ἀληθές ἐν, juxta *Nazianz*: ita τὰ ψεδὸν πολλοσχιδές, veritas una, sibiq; semper constans, falsitas dissona, multisq; modis
tum

tum à veritate, tum à se quoque divisa. Hinc facilis est collectio: Si nulla heresis sibi constat, vel propter errorum & mendaciorum naturam sibi constare potest, sequitur, quod multo minus aliquod primum falsum omnium heresium dari possit: Quod enim negatur de quavis specie, negatur etiam de toto genere: Sed verum prius, Ergo.

14. Resp. (1) Sicut in malis contingit, ita Heresis dicitur sibi constare vel in tantum, vel in totum vel ex quodam sibi competente argumento, vel ex genuino fundamento: licet in totum, vel etiam ex legitimo fundamento nulla prorsus heresis sibi constare queat, tamen in tantum, quoad competens argumentum quoad antenus sibi constare potest. (2) Rerum & doctrinarum harmonia dupliciter in heresi considerari potest, vel quoad jus, vel quoad factum, vel κατ' ἀλήθειαν, vel κατ' Φαντασίαν, vel ratione rerum ipsarum, vel ratione hominum errantium, vel quoad statum intrinsecum, vel quoad statum extrinsecum doctrine false, de jure, vel in rei veritate, sive ratione dogmatum ipsorum: quoad statum intrinsecum nullam veram harmoniam habent, sed quod aliqua consonantia reperiatur inter eas illud fit de facto, propter plausibiles hereticorum pretextus, & secundum ipsorum Φαντασίαν, ut & ratione hominum, suis erroribus dissonis & contrariis specie aliquam harmoniam conciliantium, qui status est extrinsecus & undiquaque conquisitus. Dist. igitur inter harmoniam veram, & apparentem, hac, non illa, doctrinis falsis conceditur. (3) Dist. inter primum ἀκριβῶς ordinatum, & ita παχυλῶς sic appellatum: hoc falsum ita primum παχυλῶς appellatur, non autem accuratum cum reliquis falsis ordinem observare deprehenditur.

15. (III) Ex hereseos subiecto. Nam certum est, quod hereseos subiectum sit homo corruptus, vel ejus excacatus intellectus, quia homines sine Spiritu DEI juxta Paulum Ephes. IV. 17. 18. 19. ambulat in vanitate mentis suae, tenebris obscuratum habentes intellectum, propter ignorantiam, quae est in natura ipsorum, & propter cecitatem cordis ipsorum: ubi tria Paulus corruptis, sibi que relictis hominibus tribuit, nimirum (1) Ἐνὸς ματαιότητα, men-

tu vanitatem, quod mens nostra, tanquam facultas rationalis,
ad perpetuum veritatis scopum destinata non modo, sed etiam
obligata, mera vanitate laboret, & propter sui corruptionem à
scopo semper aberret, ad nullum finem respiciat, & sic etiam
nulla certa media sive veritatis, sive finis attendat, adeoque vana
semper incertitudine ducatur. (2) Ἡς Διανοίας σκοτώσιν, intel-
lectus, vel potius ipsius discursus obscuritatem, & obtenebratum
ejus statum, dum quasi per σκοτώμα, seu vertiginem corruptio-
nis sic involvitur, ut nihil certi colligere queat, adeoque nec
primum, nec secundum, nec alium ordinem attendat: cujus rei
causam allegat ἢ ἄγνοιαν, ἢ ἔσσαν ἐν αὐτοῖς, quod vera, mera
sit ignorantia in ipsis, quæ nihil veræ, certæque collectionis &
illationis concedat. (3) Ἡς καρδίας πώρωσιν, vel cordis cecita-
tem, aut indurationem, quod callo quasi prorsus sit obduratum,
ita quidem ut nihil luminis, vel ordinis admittere queat. Hinc
non difficulter aliquis inferret: Quodcumq; subjectum laborat
mentis vanitate, nec certam scopum intendit, discursus, vel ratio-
inationis obscuratione per meram ignorantiam, adeoque medium
veræ cognitionis non attendit, & cordis vel cecitate, vel induratio-
ne, quod nihil ordinata cogitationis recipit, in eo non datur pri-
imum aliquod principium eorum, quæ ex illo deducuntur: At de
homine corrupto verum est prius, è dictis. Ergo.

16. Resp. (1) *primum principium accipitur vel κατ' ἀλήθειαν,*
secundum rei veritatem, vel κατ' ἀνθρώπων, secundum ho-
minum opinionem: κατ' ἀλήθειαν nullum datur in falso, vel ha-
eresi, principium primum, cum falsitas non sit verum, sed tantum
conceptuum, aut verborum, aut enunciationum: sed κατ' ἀνθρώ-
πων principium aliquod primum in falso suo modo concedi pot-
est. (2) Principium primum dicitur vel quoad objectivam dedu-
ctionem, quando nimirum illud vocatur principium primum,
quod objecti ratione reliqua secunda præcedit, hæc orta priori-
tate sua regit, & eadem ex se deducit, atq; sic vel entitative, vel
active primum appellatur; vel quoad subjectivam relationem,
quod ab hominibus tale constituitur atq; dicitur, & ad quod:
reliqua, tanquam ad primum aliquod, suo modo referuntur

non

non illud, sed hoc in hæresibus invenitur. Nam tota hæresis non ex dogmatibus religionis, sed ex opinionibus humane adinventionis constat, adeoq; tale quoque dicitur ejus principium, cum inter principium & principiatum certa quædam proportio reperiat. (3) Dist. inter deductionem aliquam realem, vereq; doctrinalem, & inter rationem. mereq; intellectualem: non est in falsis deductio quædam realis, sed tantum rationis, adeoq; non fit per connexionem doctrinalem rerum, aut mysteriorum, sed per operationem intellectus, vel logicam tantum illationem, qualis in hæresibus invenitur. (4) Corruptus est homo quoad iudicium rationis in externis, non in totum, sed in tantum, non simpliciter quoad naturalia, sed quoad spiritualia, vel supernaturalia, non quoad ipsum discursum, aut syllogisticum, vel etiam didacticum inferendi, vel connectendi modum, sed quoad spirituale discursus objectum. (5) Corrupta ratio vult etiam esse ratio, vel æmula rectæ rationis, sicut Diabolus dicitur *DEI simia*, quæ de causâ si non ex arte potest ordinem in suis objectis consequi, tamen aliquid ordinis contendit assequi, saltem ut sub specioso prætextu schematis alicujus eo tutius fallere queat.

17. (IV) *Ex hæresium formali.* Nam Christus omnium optime hæreseos cujusq; formale notasse videtur *Matth. XXII. 29.* dicens *Sadduceis: Erratis, nescientes scripturas:* nam ab hypotesi hæresis Sadduceorum respicit ad thesin, & formale cujusvis hæreseos intendit. Hinc ut peccatum quodvis formaliter consistit in privatione boni, & positione mali, sic etiam peccatum gravissimū hæreseos generalem peccati naturam sequitur: unde consistit hæresis ratione privativi formaliter in ignorantia scripturæ, quæ divina veritas mysteriorum fidei, revelata divinitus in scripturis, ignoratur, vel ignorantia præ negationis, dum plane negligitur, & è scripturis non cognoscitur, vel ignorantia præ dispositionis, dum ex affectu pravo nec intenditur, nec attenditur; ratione positivi formalis consistit in erroribus, *Erratis*, inquit Christus, dum pro veritate falsitas, pro salvificis dogmatibus damnabiles errores, pro mysteriis mendacia, pro scripturarum explicationibus pessimæ detorsiones & depravationes, pro ortho-

doxia

doxia heterodoxia, pro luce densissimæ tenebræ, vel caligines, pro articulis fidei variæ hereses concipiuntur atq; ponuntur. Jam autem neq; privativum, neqve positivum formale hæresium aliquod principium primum requirere, vel admittere videntur, cum ignorantia per se privationem inferat, nullum autem principium, nedum primum aliquod ponat; & errores non ex fundamentis deducuntur, sed absq; fundamentis ad varias deviationes abducuntur. Hinc iterum fit argumentum: Si nec heresivum formale privativum, nec positivum aliquod principium primum requirit, vel ostendit, sequitur, quod nullum detur principium primum, vel primum falsum heresivum. Et verum est prius, ut modo dictum. Ergo.

18. Resp. (1) Πρῶτον ψεδδ, vel primum falsum non ἀπλῶς, vel etiam propriè, sed tantum σχετικῶς vel abusive primum principium appellatur: tale suo modo dicitur, non omnimodo tale esse deprehenditur (2) Formale heresivum non requirit, vel ostendit primum principium metaphysicum, quod in essendo tale sit, sed paraphysicum, quod in concipiendo tale hominibus errantibus videatur. (3) Dist. inter primum aliquod directum, quod ordine justo, vel legitimo præsupponatur, & inter indirectum, quod præter ordinem, tanquam primum aliquod assumitur: illud neutiquam, sed hoc in hæresibus invenitur. (4) Cum certum sit, quod peccatum etiam in privatione boni & positione mali formaliter consistat, adeoque formale privativum & positivum inferat, & cum omni confusione vel ratione sui vel ratione peccatorum aliorum existentiam suam habeat, & tamen primum aliquod non respuat, siquidem lapsus peccatum est primum peccatum, vel primum malum absolute, peccatum originis in quolibet homine dicitur primum malum relative, respectu videlicet cujuslibet hominis, tanquam certi subjecti; sic etiam hereses eo ipso, quod privativum & positivum aliquod formale dicunt, primum falsum non inconvenienter admittunt. De similibus enim simile ferendum est judicium. (5) Disting. inter principium primum internum, quod ex ipsa re fluit; & inter principium primum externum, quod subjecti respectu accedit; potius hoc, quam illud hîc adesse dicitur. 19.(IV)

19. (IV) *Ex hæresium fine*, qui respectu *scripturae*, seu *veritatis caelestis*, *corruptio*, respectu *hominis*, *seductio*, vel etiam *perditio* nuncupatur, quemadmodum patet *ex II. Pet. III. 16.* jam autem in corruptione veritatis, & seductione humanae mentis, merae tantum *confusiones* inveniuntur, & plerumq; nihil ordinis in talibus corruptelis deprehenditur, adeoq; $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu$ aliquod, unde reliqua vel pendeant, vel deducantur, minime hæresibus convenire videtur, cum omnibus modis & mediis à Diabolo corruptelæ tales tentari, vel adornari soleant; nam modo sub *vero*, modo sub *falso*, modo sub *bono*, modo sub *malo* fallere suscipit, nec debitam connexionem, vel subordinationem attendit, modo finem seductionis & perditionis obtinere possit.

20. Verum (1) licet in *corruptione per se* mera sit *confusio*, tamen *dist.* inter *corruptionis* & *seductionis formale* & *materiale*; respectu *illius* mera *confusio* reperitur in *corruptione scripturae*, & *seductione hominum*, sed quoad *materiale* non omnis *ordo* simpliciter excluditur. (2) *Dist.* inter *corruptionem ipsam*, & *externum corruptionis schema*: licet corruptio nihil ordinis *intrinsicus* habeat, tamen *extrinsecus schema* quoddam ordinis eidem accommodatur. Hinc (3) consideratur vel *objective*, sic *ratione sui* media *corruptionis* non coherant, sed in mille formas *mendacium* se diffundit; vel *subjective*, sic Diabolus & homines hæretici *certa methodo* quaedam errores proponere student. Plura quidem dubia hic movere possemus, sed in his generalibus prolixiores esse nolumus.

21. Ex dictis igitur supponimus, tanquam certum, quod detur $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu \psi\epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma$, vel *primum falsum omnium hæresium*, quod multis argumentis tum *ab efficiente causa*, tum *à materia*, tum *à forma*, tum *à sine*, tum *à proprietatibus*, tum *ab opposito*, tum *ab experientia*, tum *ab effectis*, tum *ex aliis fundamentis*, satis evidenter demonstrare possemus, sed circa *primi falsi Existentiam* plura nunc addere non licet, neq; libet, cum ad reliqua progressum tractationis *Oeconomia* requirat.

22. Quod igitur concernit *Naturam Primi Falsi*, proprie loquen-

C

loquen-

loquendo nec falso, nec malo, vera natura competit, adeoq; nec Primo Falso natura vera tribuenda venit; quia vero nihil impedit, quo minus, ad analogiam boni, de natura mali tractatio quædam instituatur, ideo nec incongruum erit, si certo modo quodam, ad analogiam veri, de natura falsi tractationis aliquid expediatur. Verba siquidem pro substrata materia tum applicanda, tum intelligenda dicuntur. Hic igitur præsuppositum esse volumus, quod natura terminus longe aliter accipiat, cum de Primo Vero, vel primo divine veritatis principio usurpatur, quam de primo falso hoc loco vel allegatur, vel explicatur: ibi sumitur πρώτως, hic δεύτερως, ibi directe, hic indirecte, ibi ἀνεξβῶς, hic παχυλῶς, ibi supponitur ἰδίως, hic ἀναλόγως, ibi de jure, hic de facto.

23. Dum hac ratione primi falsi naturam indagare contendimus, ad causas potissimum respicere debemus. Et primum omnium advertimus, quod secundum nature rationem etiam causarum proportio sit intelligenda. Nam quale totum, tales partes, qualis natura, tales causa, cum primi falsi causa non efficiendo, sed deficiendo, non positive, sed corruptive, vel private & corruptive simul, non influendo, sed evertendo, vel invertendo, aut pervertendo, suam operationem obtinere dicantur, quemadmodum ex sequentibus luculenter apparebit.

24. Ut autem in aliis rebus ad quatuor causarum classes omnem nature totius considerationem referimus, sic etiam in Primi falsi theoria quatuor istas causas respicere volumus, nimirum (I) Causam Efficientem Primi falsi. (II) Causam Materialem. (III) Causam Formalem. (IV) Causam Finalem, ut cuilibet ex omnium harum causarum dilucidatione planius & plenius constare queat, quid de natura Primi Falsi statuere, vel judicare debeat.

25. Causa Efficiens aliàs duplicis generis esse dicitur, Principalis & minus principalis. Causa principalis primi falsi partim negative, partim positive declarari potest. Negative dicimus (a) quod Primi falsi causa principalis non sit DEUS, partim quia DEUS est ipsa veritas, summa veritas, absoluta veritas, prima
veri-

*veritas: jam autem prima veritas non potest esse causa primi
 falsi; partim quia DEUS est Spiritus veritatis Job. XV. 26. qui
 veritatis est autor, & ducit in omnem veritatem c. XVI. 13. atq;
 docet omnem veritatem c. XIV. 26. partim quia DEUS veritas in
 abstracto Job. XIV. 6. verax in concreto Rom. III. 3. Numquid illo-
 rum incredulitas fidem DEI evacuabit? Absit, quia potius, DEUS
 verax, omnis autem homo mendax: DEUS verax in verbo, quia
 rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide Ps. XXXIII.
 4. Verbum DEI verbum veritatis Coloss. I. ipsa veritas Job. XVII.
 17. DEUS verax in facto, quia omnia opera ejus vera Dan. IV. 34.
 partim quia impossibile est DEUM mentiri Heb. VI. 18.*

26. Non igitur probare possumus Calvinianorum erro-
 rem, quo deceptiones, seductiones, haereses, excitationes, & conse-
 quenter etiam πρῶτον ψῦδῶν & haesium, ad autorem DEUM re-
 ferunt: sic enim ipse Calvinus lib. I. Instit. cap. 18. §. 1. scribit:
*Vult DEUS perfidum Regem Achab DECIPI: Operam suam of-
 fert Diabolus ad eam rem: MITTITUR, cum certo MANDATO
 ut sit SPIRITUS MENDAX in ore omniū Prophetarum. Si DEI
 judicium EXCOECATIO & amentia Achab, nuda permissionis
 signum evanescit: quia ridiculum esset, judicem tantum
 permittere, non etiam decernere, quid fieri velit, & mandare
 executionem MINISTRIS. Item §. 2. Quantum ad arca-
 nos motus spectat, quod de corde Regis praedicat Salomon
 (Prov. 21. 1.) flecti huc, vel illuc: prout DEO visum est, ad to-
 tum certe humanum genus extenditur, tantundemq; valet,
 ac si dixisset: Quicquid animis concipimus, arcana DEI
 inspiratione ad suum finem dirigi. Et certe, nisi intus ope-
 raretur in mentibus hominum, non recte dictum esset, au-
 ferre labium a veracibus, & a senibus prudentiam: aufer-
 re cor principibus terra, ut errent per devia (Job. 12. 17. seq.)
 Atq; huc pertinet, quod saepe legitur, homines esse pavidos,
 prout ejus terrore occupantur eorum corda. Sic David e
 castris Saulis nemine sciente egressus est: quia sopor Domi-
 ni irruebat super omnes, sed nihil clarius potest desiderari,*

quam ubi DEUS toties pronūciat, se EXCOECARE hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc etiam ad permisſionem multi rejiciunt, ac ſi deſerendo reprobos, à Satana excacari ſineret. Sed cum diſerte exprimat Spiritus, juſto DEI judicio infligi Cæcitatem & amentiam, nimis frivola eſt illa ſolutio. Et poſt pauca: Fateor quidem, interpoſita Satana opera, ſæpe DEUM agere in reprobis: Sed ut EJUS IMPULSU Satban ipſe partes ſuas agat, & proficiat, QUATE- NUS (nim. à DEO) DATUM EST. Spiritus malus turbat Saulem; ſed dicitur ESSE A DEO: ut ſciamus, furorem Saulis, juſta DEI vindictâ prodire. Dicitur etiam idem Sa- zban EXCOECARE infidelium mentes; ſed unde hoc? niſi quod à DEO IPSO MANAT EFFICACIA erroris, UT MEN- DACIIS CREDANT, qui renuunt parere veritati. Summa hæc ſit, quod DEI voluntas dicitur rerum omnium eſſe cau- ſa, providentiâ ipſius ſtatui moderatricem in cunctis homi- num conſiliis & operibus, ut non tantum vim ſuam exerat in Electis, qui Spiritu Sancto reguntur, ſed etiam reprobos in obſequium COGAT. Zanchius in miſcell. lib. 2. art. de ex- cacat. impiorum pag. 208. DEUM quosdam excacare, in- durare, & in deſideria & prava flagitia tradere, idque non tantum permittendo (quæ permiſſio ſemper eſt voluntaria) nec tantum gratiam ſubtrahendo, nec tantum externa offen- dicula, in quæ impingant, reprobis obijciendo, ſed etiam in- terna quadam, particulari, ſed ineffabili actione: eaque vel immediatè per ſe, vel mediatè per miniſterium Satanae, eos in cecitatem, obdurationem & prava deſideria impellendo, ſed non cogendo. Et ne quis de ſtatu cauſæ dubitet, an principa- liter, an alio modo DEUM autorem excacationis, indurationis, hæreſeos, & ſic etiam primi falſi hæreſeos faciant, vel eam vetuſtio- rum ſaltem, & quidem particularem ſententiam Doctorum hanc eſſe

esse statuat, producimus ipsum *Wendelinum, Maccovium, & eandem* sententiam ex *Confessionibus publicis* ostendimus. Nam juxta *Confess. Gallic. p. 79. DEUS* potius admirabiles, quam explicabiles rationes habere dicitur, ex quibus SIC UTITUR DIABOLIS OMNIBUS ET PECCANTIBUS (vel etiam errantibus) HOMINIBUS, TANQVAM INSTRUMENTIS. Confer. *Confess. Helvet. Major. c. 6. p. 8. & c. 8. p. 12. Maccovius in Th. Polem. cap. XII. p. 73.* scribit: *Causa principalis* (excæcationis) *DEUS* est: *ministerialis, Diabolus, tanquam carnifex.* *Wendelin. l. 1. Christ. Theol. c. 4. th. 11.* quod *DEUS* minimè nuda permissione, vel directione in finem, sed potius active induret, & quod induratio sit effectus iræ divine. Confer. *Exam. nostrum Mataeol. publ. Reform. disp. 18. th. 2.* ubi verbis *Reformatorum* propriis demonstravimus, quod secundum ipsorum sententiam *corruptionis causa DEUS* sit (1) *Quoad æternam prædestinationis decretum.* (2) *quoad divinam suam voluntatem.* (3) *quoad divinam ordinationem.* (4) *quoad divinam providentiam.* (5) *quoad divinam potestatem.* (6) *quoad divinum impulsum.* (7) *quoad divinam mediæ subordinatorem.* (8) *quoad divinam ordinationem.* (9) *quoad divinam permissionem.* (10) *quoad necessariam constitutionem, dispositionem & dispensationem.* Sed hæc erronea sententia *Reformatorum* fundamentis *th. 25.* notatis refutatur.

27. (b) Nec est *DEI creatura, quæ talis* est, sive sit *Angelus, sive Homo:* breviter hoc confirmatur dicto, & argumento: nam *Gen. 1. 31.* disertis verbis dicitur: *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & ecce valde bona erant.* Et creatura, *quæ talis,* dependet à *DEO* non tantum in fieri, & esse, sed etiam in operari, cum tanquam *causa secunda cause primæ* simpliciter subordinetur. Si proinde creatura, *quæ talis, errorum, hæresium, vel etiam primi falsi hæresium causa* foret, non posset ad *DEUM* hæc causalitas non referri.

28. Hæc iterum notanda sunt contra *Reformatos, quæ,* propterea *DEUM Angelos & homines labiles creaturas* condidisse, censent, nim. ut errarent & peccarent, & *DEI, vel etiam justitiæ divinæ gloriam* sic manifestarent. *Beza in Colloq.*

Monpelg. p. 428. 429. de hac labilitate hominis seqq. profert
DEI gloria neq; agnoscitur, neq; celebratur, nisi ejus misericordia
& justitia declaretur. Quapropter aeternum & immutabile de-
cretum fecit, quo certos aliquot homines, mera gratia, ad vitam
aeternam, quosdam vero justo judicio ad aeternam damnationem
destinavit, ut in illis misericordiam, in his vero justitiam suam de-
clararet. Hunc finem cum DEUS in creatione hominis propositum
habuisset, NECESSE FUIT, eum etiam cogitare de via & ratio-
ne, qua ad illum finem pervenire potuerit, ut ejus misericordia pa-
riter & justitia manifestaretur. Cum enim misericordia presup-
ponat miseriam, nec misericordia locus esse, aut ea declarari possit,
ubi non est miseria, ideo hominem ita creari oportuit, ut in eo locus
misericordiae DEI esse potuerit, quod sine precedente miseria fieri
non potuit. Sic cum justitia presupponat culpam, sine qua justitia
exerceri non potest (ubi enim non est culpa, ibi etiam justitia locum
non habet) ideo hominem quoq; ita creari OPORTUIT, ut servata
natura aptus esset, in quo DEUS justitiam suam declarare posset.
Justitiam enim suam in homine declarare non potuisset, nisi eum ad
aeternam damnationem destinasset. Et postea paucis interjectis
Creavit hominem in recto statu quidem bonum, justum, sanctum,
sed tamen MUTABILEM (h. e. labilem) qui in manu
consilii sui relictus cadere & labi possit in miseriam, in qua
deinceps & misericordia, & justitia locus esset. Si enim IM-
MUTABILES (h. e. non labiles) homines creavisset, ut
labi & peccare non possent: DEUS sibi neq; ad MISERICORDIAM,
neq; ad JUSTITIAM viam aperuisset & c. Huc faciunt & alia,
quod nim. DEUS Angelos & Homines hoc fine creaverit, ut la-
berentur. Zwinglius de Provid. c. 5. scribit: Quando DEUS
Angelos & Homines creavit, ut ejus justitiam & Veritatem vide-
rent; NECESSE fuit, ut DEUS etiam simul MENDACIA & IN-
JUSTITIAM in mundo grassari permitteret. Quapropter haec
in commodum & utilitatem à DEO condita sunt, ut per ea Angeli
& Homines in peccatum ruerent. Nam per lapsum Angelorum
infidelitas & mendacia, per lapsum autem hominum peccatum &
injustitia veniunt in Mundum. Item quod creatio cum lapsu
prædestinationis absolutæ medium esse dicitur. Bucan. loc. de
prædest. q. 30. Communia media sunt tria, nempe creatio hominis

in

in recto statu, lapsus hominis, & propagatio istius. *Maccov. disput. de predest. th. 5. Media communia utriusq; & Electionis & Reprobationis, sunt creatio, in lapsum permissio & lapsus ipse.* Has & alias hypotheses quam plurimas *Reformatorum* hic introducere possemus, sed ex his satis apparet institutum nostrum, quod Angeli & homines, quatenus sunt *DEI creature*, juxta sententiam, ipsorum, sint *errorum & heresum*, & sic etiam *primi falsi causæ*.

29. (c) Huc referre placet, quod nec *efficientes causæ* sint *primi falsi heresum Diaboli*, vel *homines*, quatenus sunt *organa vel instrumenta DEI*. Nam (1) quatenus *angeli*, vel etiam *homines Ministri DEI* sunt, eatenus *voluntatem DEI* faciunt *Psal. CIII. 21.* sed omnes *errores*, omnes *hereses*, omnia *peccata* fiunt *contra voluntatem Dei*. (2) *instrumentum* agit non tam ex *virtute propria*, quam *communicata*, videl. à *causa principali*: nemo vero dicere potest, quod *virtutem errandi*, vel *peccandi*, quæ non tam *virtus*, quam *virtutis defectus* est, *DEUS* angelis, vel hominibus communicarit. Summum bonum *DEUS* est, qui tum *errores*, tum *hereses*, tum *peccata* detestatur, adeoque facultatem vel virtutem, si licet eam ita vocare, *peccatorum & errorum* abominatur. (3) *Instrumentum* non agit à se, sed à *causa principali*, nec agit *propter se*, sed *propter causam principalem*, quod de peccatis vel erroribus respectu *DEI* nullatenus dici vel potest, vel debet: & quæ sunt alia, quæ maximam hujus sententiæ vel absurditatem, vel incommoditatem demonstrant.

30. Hic pariter errant *Reformati*, prout partim ex *th. 26.* videre liquet, partim ex aliis *Reformatorum* testimoniis apparet. Nam juxta *Calvinum* *DEUS* quasi *Diaboli seductoris* vel *conjuratus*, vel *confæderatus* fuit, eiq; *tentationis arma*, vel *seductionis media* non tantum ad alias *prevaricationes*, sed etiam ad *hereses*, earumq; *πρωτόν ψεύδος* suppeditavit, ut hoc *apostasias bellum* felici cum *successu* depugnaret. Sic enim *Comment in c. 3. Genes. Flexibilem DEUS hominem creavit, tentari non modo passus est, sed & voluit.* Nam & *serpentis linguam præter ordinarium naturæ usum commoda dedit, quemadmodum si quis alteri GLADIUM & ARMA suppeditee.*

ditet. Quum infelix eventus illi esset praecognitus, remedium, quae POTERAT, non attulit. Conf. Exam. publ. Matheol. Reformat. d.l. tb. 4. Hæc negative de primi falsi Efficiente notate libuit.

31. Affirmative primi falsi heresum causa principalis Efficiens est vel prima, vel secunda. Prima dicitur ipse Diabolus, quod probatur (1) ex appellatione, quia dicitur à Christo Pater mendacii Job. IIX. 44. iam notum est, quod Pater communiter suorum liberorum causa principalis appellatur: non igitur mendaces hæreses ad aliam causam principalem rectius, quam ad ipsum Diabolum, referri poterunt. Quemadmodum, inquit Cyrill. super Johann. lib. 6. c. 6. DEUS verax est, & Pater veritatis; ita quoque Diabolus mendax est, & pater mendacii: iam DEUS est causa principalis veritatis; sic igitur Diabolus erit causa principalis mendacii, vel omnium mendacium heresum, & primi falsi cunctarum heresum. Sic etiam dicitur קָדוֹשׁ הַיְשׁוּבִים spiritus falsitatis, & quidem in genere, & sic etiam primi falsi heresum omnium: (2) ex emphatica mendacii appropriatione, quia Diabolus, cum mendacium loquitur, juxta Christi pronunciatum, ex propriis loquitur: mendacia siquidem propria Satanae dicuntur, tum ratione propriae inventionis, quia proprius inventor Diabolus mendaciorum & heresum: tum ratione propriae possessionis, qui primus non tantum, sed & proprius omnium mendaciorum possessor est, qui semper eadem instar peculii servat, & licet ea homo quoque possideat, tamen illa non ex proprietate, sed tantum ex communicationis jure possidet: Diabolus mendax est, inquit Cyrillus d.l. & pater mendacii: Homo verò, quia non à se, sed docente & suggerente Diabolo mendacium didicit; cum loquitur mendacium, non ex propriis loquitur, sed ex alieno, & quod aliunde accepit: neque mendacii Pater est, sed patris mendacii filius, quem per peccatum à veritate & DEO declinando, malitia assimulatione imitatur: tum ratione propriae conservationis, quia Diabolus mendacia servat veluti proprietatem suam: Homo, tanquam per Diaboli mendacia seductus, adhuc liberationis pharmacum

macum ex gratia DEI servatoris admittere potuit; sed Diabolus propter hanc proprietatem suam nullum liberationis remedium accepit, & sic in proprietate sua permansit. (3) Ex prima mendaciorum, vel etiam heresum, earumque primi falsi disseminatione, quia non alius, quam ipse Diabolus primum in paradiso corruptelas verbi divini, tanquam seminarium & primum falsum omnium heresum ex arcanis suae proprietatis publicavit, hominibus inspiravit, & sic causam principalem primi falsi heresum se demonstravit, ut patet ex Gen. III. 1. seq. Hic enim primum errorum semen dispersum, hic Zizania falsarum opinionum disseminata, hic πρώτων ψευδῶν omnium heresum stabilitum. (4) Ex veritatis prima desertione, quia Diabolus primus fuit, qui in veritate concreata non stetit, ut ipse Christus testatur Job. XIX. 44. veritatem cum cæteris angelis sibi concreatam habuit, sed eam non retinuit, adeoque statim amissa veritate mendacium uberrimo proventu præsens fuit, quod etiam potestate nostrum πρώτων ψευδῶν aluit, vel etiam actu statim illud cacodæmon cogitarit, quomodo DEI Verbum, hominibus promulgatum, corrumpere, & mediantibus illis corruptelis omnis generis hereses in mundum introduceret. (5) Ex veritatis plenaria negatione, quia Christus I. d. præterea dicit, quod veritas in Diabolo non sit; In veritate non stetit, inquit, quia veritas non est in eo: Quod Christus addit, scribit B. Chemnit. in harm. Evangel. ad h. l. Quia veritas non est in eo; ibi particula ὅτι, quia non est ita accipienda, quasi Christus causam reddat, ob quam Diabolus in veritate non steterit, & quasi nulla unquam veritas in Diabolo locum habuerit: sed ducit argumentum à consequenti, atque dicere vult, sic ipsum à veritate excidisse, ut jam in posterum, ne minima quidem veritatis particula sit in illo. Adeo quidem ut si quando verum dicere videtur, tamen non est veritas in ore ejus, quia per ea, quæ loquitur, studet hominem decipere, ut ita omnia ejus dicta ad MENDACIUM & ERROREM vergant; ut nunquam tuto ei credi possit. In eo verò, qui nihil prorsus veritatis amat, & sua detorsione veritatem ipsam in mendacium transmutat, citrà dubium primi falsi causalitas principalis invenitur. (6) Ex

D

tituli

*scituli principalis consideratione, quia Diabolus à Christo κατ' ἐξο-
 χλὴν ψευδῆς, vel mendax appellatur, eam ob causam, quod πρώ-
 τως sit mendax, quod omne mendacium πρώτως apud ipsum re-
 periat, quod ab eo πρώτως omne mendacium proficiscatur,
 quod per eum πρώτως omne mendacium dispergatur, quod in
 eo πρώτως omne mendacium custodiatur, quod propter ejus re-
 gnum mendaciorum & heresum numerus augeatur, & πρώτον
 ψεδδὸν heresum etiam primam in ipso sedem habere depre-
 hendatur. (7) Ex Diaboli descriptione, quia quando Christus
 Job. II. 44. Diabolum vocat patrem mendacii, brevem quidem,
 sed accuratam ejus descriptionem exhibere videtur: nam quo-
 ad definitum vocat eum eodem vers. Δι' ἑσθλον dicens: ὑμεῖς ἐκ
 πατρὸς τοῦ Διαβόλου ἐστέ, vos ex patre Diabolo estis: ubi peculia-
 rem emphasin articulus τὸς notat, dum indicare voluit Chri-
 stus, Diaboli nomen emphaticum esse nomen, & significare ca-
 lumniatorem, obreptatorem, criminatorem, & mendaciorum
 omnium studiosum: hinc propriam ejus naturam esse, quatenus
 scilicet est Diabolus, ut sit Pater mendacii ὁ πατὴρ τῶν ψευδῶν: nam
 vox πατὴρ materiale notat, quod cum DEO commune habere
 gestit Diabolus, qui Pater est omnium Ephes. IV. 6. dum ergo
 DEI simia, vel emulator esse vult, hunc etiam titulum affectat:
 vox τῶν ψευδῶν cum relatione ad primum ejus originem, vel i-
 psam paternitatem formale, vel proprium Diaboli sistit, & ipsum
 à DEO, vel omnibus rebus creatis veris atque bonis distingvit.
 Cum igitur Diabolus, quatenus talis, formaliter sit pater mendacii,
 propterea causa principalis primi falsi heresum dicendus erit, un-
 de multis & Archibhreticus appellatur.*

32. *Causa secunda primi falsi heresum dicitur homo, non
 quoad statum integritatis, sic enim nudus fuit & simplex, & eru-
 bescere necessum non habuit Gen. II. ult. nullis ficuum foliis,
 nullis mendaciorum tegumentis opus habebat, sed veritatem
 simplicem, sibi concreatam in mente, corde & corpore servabat:
 nec quoad statum restorationis, quia sic à DEO nascitur homo
 I. Job. III. 9. DEI veritatem sequitur, mendacium totus odisse di-
 citur cum Davide Psal. CXIX. 163. multo minus quoad statum*

glo.

glorificationis, juxta quam plenaria *veritas* in regno gloria coram DEO sic electis revelabitur, & in illis confirmabitur, ut in æternum amplius excidere nequeant: sed in *statu corruptionis*, respectu cujus in *Diaboli* calles per seductionem primam incidit, mendacii damnabilem aspectum sentit, & illi succubuit, ut ita totus ad corruptiones quaslibet sit deformatus, ad *corruptelas* natus, à mendaciis Diabolicis subjugatus, & sub ejus tyrannide captivatus, ut cum primis in spiritualibus & ad regnum DEI pertinentibus totaliter sit mortuus, unde dicitur, quod *omnis homo sit mendax* Psal. CXVI. 11. Quod *impius in corde suo dicat. Non est DEUS*, quod *omnes corrupti sunt, & abominabiles in studiis suis* Psal. XIV. 1. 2. ubi statim additur, quod *Dominus de cælo prospexerit, super filios hominum, ut videat, num sit intelligens & requirens DEUM, quod omnes declinaverint, simul inutiles facti sint.* Sic igitur in homine corrupto nulla *rerum divinarum* intelligentia, nulla *vera DEI* notitia vel reverentia, sed è contra *mera corruptio, mera confusio, mera mendaciorum abominatio*, siquidem totus totus mendax est, mendax in cogitatis, dictis & factis, & sic homo corruptus *omnium hæresium*, & consequenter *primi falsi hæresium* factus est *causa secunda principalis*.

33. *Minus principales cause* partim sunt *impulsivæ*, partim *instrumentales*. *Impulsivæ cause* variæ sunt; nos alias respectu *Diaboli*, alias respectu *hominum* notabimus. Respectu *Diaboli* varias etiam explicare possemus, sed eas recensere sufficiat. Movit enim *Diabolum* ad hoc $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\delta\delta\theta$ (1) *DEI odium*, quia simpliciter & in omnibus *DEI* hostis est, hinc *immicus* κατ' ἐξοχλῶ dicitur *Matth. XIII. 28.* (2) *DEI resistentia*, quia *DEO* dicitur in omnibus contrarius & hinc appellatur *Satanas* à $\sigma\alpha\tau\alpha\tilde{\nu}\nu$ quod juxta nonnullos significat *exodio adversari, vel contrariari* hinc κατ' ἐξοχλῶ *Adversarius* appellatur. (3) *Odium veritatis*, quia sic mendaciorum studiis se totum mancipavit, ut nihil magis, quam veritatem odio fatali persequatur, adeoq; modis omnibus, etiam per hoc $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\delta\delta\theta$ veritati divinæ nocere cupit. (4) *Odium Verbi DEI*; cum enim verbum *DEI* sit principium

veritatis, indicium *veritatis*, medium *veritatis*, munimentum *veritatis*, epimicion *veritatis*, ideo vehementissimum erga DEI verbum semper odium fovet, cum & sibi per verbum DEI supplicia, suis studiis impedimenta, suo regno decreta parata videat. (5) *Detestanda erga felices homines invidia*, hinc nonnulli statunt *invidiam* primum Diaboli peccatum extitisse, partim *ratione DEI*, quia ne quidem summum bonum in DEO videre, vel agnoscere potuit: partim respectu *Fili DEI*, quo nonnulli Patrum respiciunt, quod sine invidia divinam in Filio DEI gloriam conspiciere non potuerit: partim respectu *hominum*, quia juxta *B. Lutber.* in cap. 1. Genes. *Bernhardus* cogitavit, *Luciferum* vidisse in DEO, fore ut homo super angelorum naturam eveberetur; hanc homini felicitatem spiritum superbum invidisse, & sic lapsum esse. Sed juxta *Bezanum* ipsum tract. de Angel. c. 4. q. 6. hæc sententia duas hypotheses supponit, tum mysterium incarnationis fuisse revelatum angelis, antequam peccarent, tum *Christum* fuisse venturum, etiamsi homo non peccasset, quæ duæ hypotheses ex *S. L.* probari non possunt: partim *ratione sui*, quia juxta *Lactant.* lib. 2. Instit. cap. 8. *Diabolus* suapte *invidia* tanquam veneno, infectus est, & ex bono ad malum transcendit: partim *ratione nostri*, quia felicitatem hominum sine invidia videre non potuit, unde mendacium fingere, simulq; hominibus immittere voluit, quo per hocce medium à DEO, veritatis autore, rejicerentur, & in consortium Diabolorum detruderentur, quæ ratione per medium aliud scopum suum obtinere non potuit, & sic etiam ad *πρωτον ψεδδ* omnium hæresium animi propositum convertit, ut omnem de DEO, rebusq; divinis doctrinam per hoc medium primi falsi, & inde pendentes hæreses vel everteret, vel corrumpere. (6) *Amor mendaciorum*; nam quia *mendacium* magis, quam *veritatem* amavit, & inde *pater* ejus factus est, ac *veritate* non servata, sed repudiata, *mendacium* saltem tenuit, ideò tanta *mendaciorum* cupiditas in eo reperitur, ut nihil potius ducat, quam ipsum mendaciū, utpote quod *fundamentum* ponit regno Diaboli, quia nec facilius, nec felicius propagandi regnum Diaboli medium est,

quam

quam ipsa hæresis; quod incrementa subinde quærit, eam non per aliud medium citius, aut facilius crescat regnam Diaboli, quam per hæreses &c: & propter hunc morem mendaciorum etiam $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\delta\delta\theta$ excogitare abluir. Plures causas impulsivas respectu Diaboli modo producere nolumus.

34. Quod attinet causas impulsivas respectu hominum, varias etiam tum *historia sacra*, tum *Ecclesiastica* suppeditat. Tales sunt (1) *Ingenii humani curiositas*: nam si mater omnium *Eva* non ex curiositate quadam colloquium cum serpente suscepisset, nec ex eadem de verbi divini sensu disputationem instituisse, ne utique in hanc miseriam incidisset. Talis curiositas plerumque vexat adhuc hæresiarchas, quando corruptelam verbi divini, tanquam cuiusvis hæreseos $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\delta\delta\theta$ admittunt. (2) *Studium novitatis*: sic etiam *Eva* non sine affectu novum serpentis verbum audiebat, novum verbi sensum auribus excipiebat, & in cor suum mittebat, & sic $\pi\rho\omega\tau\omicron\nu\ \psi\epsilon\delta\delta\theta$ hæresium concipiebat. Tales novæ verbi DEI corruptelæ passim apud *Socinianos*, *Papistas Calvinianos* & alios hæreticos inveniuntur. (3) *Studium ambitionis*, quia de sue quicquam *Eva* verbis summi legislatoris adiecit tantum ex ambitione: Dixit enim DEUS *Gen. II. 16.* præcipiens: *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientie boni & mali ne comedas: in quo- cunq; enim die comederis ex eo morte morieris.* Mulier autem ex ambitione, quam serpens jam adspiraverat, ita verba DEI reperit *II. 2.* *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur; de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur: unde potro serpens mox divinitatis appetitum eidem inspiravit: Nequaquam moriemini; scit enim DEUS, quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii scientes bonum & malum.* (4) *Studium contradictionis & oppositis- nis*, quia studium hoc serpens animo mulieris inspiravit, per suum. *Nequaquam moriemini: & alias valet illud: Nisi in veterum, semper cupimusq; negata: hinc de nulla paradisi arbore, quam de probibita satanas cum muliere sermo est cogitamus.*

tare voluit, ut ad studium contradictionis & inde pendentis corruptionis eandem inclinaret. (5) *Studium ἐθελουθεντικίας*: vel etiam *vanae rationis & Philosophia* nam quia DEUS protoplastis cultum aliquem sui præscripserat certo legis verbo, ne de ligno scientia boni & mali comederent: ex propria tum inventione, tum electione statim Eva suum etiam iudicium annectere voluit, per illud. *Ne tangeremus*, ut sic etiam rationis suæ scrutinium & placitum manifestaret: nam præposterum & intempestivum *rationis* iudicium & *philosophia* nimium æstimum hominem etiam ad corruptelas verbi divini commovere possunt; Eva namque sic colligebat: si non debemus comedere de ligno scientia boni & mali, nec illud tangere convenit, quia frustra tangeretur lignum, de quo nihil fructus comedere licet. Sic ex historiis notum est, quod intempestivus *usus rationis & philosophia* sæpius homines ad corruptelas verbi divini seduxerit, cum primis facilis in erroneam & hæreticam doctrinam prolapsus, ubi in religione nihil admittitur, nihil probatur, nisi quod ex principiis *rationis & philosophia* demonstratur. Sic notum est, quod *Nycodemus*, in mysterio regenerationis, à Christo tradito, iudicio *rationis & philosophia* principiis suffultus, parum fidei Christi verbis adhibuerit *Job. III. 4. Quomodo potest quisquam nasci, qui senex est? Num poterit in uterum matris redire, & iterum nasci!* Sic etiam in *Actis Apostolicis* traditur. Quod *Philosophi-stoici & Epicurei*, doctrinam *Paulinam*, tanquam principiis philosophicis repugnantem graviter reprehenderint. *Act. XVII. 17. 18.* (6) *Studium ὀλιγομαθείας*. Nam si Verbum DEI nec exactè cognoscitur, nec accuratè semper intenditur & attenditur, sed ex *ὀλιγομαθεία* debitum verbi scrutinium omittitur, ejusque plenior cognitio negligitur, facilis ad varia hæresium genera transitus deprehenditur. Sic Diabolus non *Adamum* illustriori notitia præditum, sed *Evam* gradu minore cognitionis instructam adire, suumque *πρῶτον ψεδδ* disseminare voluit. Quod enim quis parum novit, docere vel defendere nequit. Hinc neglectus meditationis & defectus prædicationis verbi, vel etiam fidelium ministrorum, qui verbum intelli-

telli-

celligunt, & intellectum iusta diligentia proponant, inter cau-
 sas impulsivas hæreseos vel inchoandæ, vel continuandæ, non
 immeritò recensetur. Facile patet hoc ex testimoniis *Prophetarum*,
Christi & *Apostolorum*. Nam *Esaias* cap. LVI. 10. inquit:
Speculatores omnes cæci sunt, indocti omnes, muti canes, latrare
non possunt, jacentes, amantes stertere. *Matthæus* de *Christo* c. IX.
 36. 37. 38. testatur: *Visa hominum multitudine, misertus est*
eorum, quod palantes errarent, tanquam pastore carentes oves.
 Tunc suos discipulos sic allocutus est: *Messis quidem multa est,*
sed operarii pauci: orate igitur messis Dominum, ut operarios emittat
in messem suam. *Paulus* etiam *Act.* XX 28. ius *Ephesinis* his
 verbis valedicere voluit: *Attendite vobis & universo gregi, in*
quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, quã
acquisivit sanguine suo. Ego scio, quoniam intrabunt post disseccio-
nem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi: & ex vobis
ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post
se. Propter quod vigilate memoriæ retinentes, quoniam per trien-
nium nocte & die non cessavi cum lacrymis monens, unumquemque
vestrum. Sic *B. Chemnit.* t. 1. *Loc. Comm.* p. 54. de *Ætio* refert,
 quod ex *ὀλιγομαθεία* suum errorem excitavit: *Historia* reci-
 tantur apud *Suidam* fol. 35. in quibus illa sunt observatione digna.
Ætius sub *Constantino Magno* publicè vocabatur *ἀθεῖος*, ut nihil
 mirum sit, venenum *Arianum* in impuro illo vase locum invenisse.
 A principio non erat bene institutus. *Χερσοχοιῶν* enim, cum præ
 paupertate literas discere non pisset, didicit & exercuit. Sed inge-
 nium eius non potuit se in officinis aurifabrorum continere. Irruit
 ergo *ὀψιμαθῆς* in disciplinas, & mox in doctrinam *Ecclesiæ*: ubi sta-
 tim ingenii sui specimen edidit. In disceptationibus enim semper
 absurdas & mirabiles *Quæstiones* agitabat, & ab huiusmodi prin-
 cipiis progressus, factus est ex *Aurifabro* talis *Theologus*, quales no-
 stro tempore sunt *Anabaptistæ*. Plures nunc impulsivas causas ex
 parte hominis adducere nolumus. Notum enim est, quod *πρω-*
τον ψεδδῶ propter innumeras *Satanæ* fraudes innumeras et-
 iam causas impulsivas in corde hominis corrupti respiciat.

35. Instrumentalis causa *πρωτῶν ψευδῶν* alia dicitur inter-

1147

et alia externa. Interna dicitur mens hominis obtenebrata sicut indicat Paulus II. Cor. IV. 4. Si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum, in quibus DEUS hujus seculi excecavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloria Christi; nam ut mens internum est medium vere cognitionis, sic etiam est medium falsa deceptionis, quatenus mentis lumen obscuratur, tenebris diabolicarum tentationum obfuscatur, mendacibus conceptibus turbatur, ea ad hæreticum πρῶτον ψεύδος accommodatur, ita quidem ut videntes non videant, audientes non audiant, intelligentes non intelligant Matth. XIII. 13. unde tales homines quoad intellectum suum tenebrae vocantur. Eph. V. 8. Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux estis in Domino. Job. I. 5. Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt. Nam I. Cor. II. 14. animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus DEI; stultitia sunt ipsi, & non potest talis cognoscere; cum primis ratio caeca, vel excecata medium sit πρῶτον ψεύδος hæresium, dum nimium quantum sibi placet in suis animalibus, iisque vanis speculationibus, iisque varias verbo DEI corruptelas ad sui seductionem infert.

36. Externa causa instrumentalis est verbum mendacitatis. Sicut enim verbum DEI medium est, per quod caelestis veritas concipitur, cognoscitur, & postea exterius manifestatur atque propagatur; sic verbum Diaboli, vel, etiam hominis excecati tale medium esse dicitur, per quod πρῶτον ψεύδος hæresium concipitur, cognoscitur, & ad extra manifestatur. Patet id ex prima praxi Satanae, qui nostros protoplastos per verbum externum, tanquam per externum medium seducere, mentibus ipsorum suum mendacium infundere, simulque πρῶτον ψεύδος ipsis obtrudere voluit. Et hoc stratagematicum arcanum est Satanae, quod etiam sub prætextu verbi DEI, seu veritatis scopum suum malum per insidiosum hoc medium obtinere contendat.

37. Accedimus jam ad Causam Materialem, quae juxta vulgatam distinctionem, in materiam circa quam, in qua & ex qua distribuitur. Licet autem accuratè loquendo primum falsum hoc respectus nec per se, nec proprie, nec simpliciter admittat, tamen

men

men per accidens, ἀναλόγως & comparate, non incommodum
 erit, aliquo modo respectus illos circa *primum falsi theorian* no-
 tare: *Materia circa quam πρῶτον ψεῦδος & Hæresium* versatur,
 est vel *directa*, vel *indirecta*: illa dicitur vel *immediata*, qua ra-
 tione *primum falsum* circa generale vel *ἔυρημα*, vel *σεγατάγη-*
μα Satanæ versatur, quo semper in generandis, vel propagan-
 dis hæresibus utitur: vel *mediata*, qua ratione *primum falsum*
 etiam reliqua *falsa universa* respicit, & vel circa illorum genera-
 tionem, vel explicationem, vel propagationem, vel defensionem
 occupatur: *Indirecta* dicitur vel *subordinata*, nimirum
 scriptura sacra, cum circa scripturæ detorsionem Diabolus tan-
 quam hæreticorum omnium choragus, sit occupatissimus, &
 ad earum detorsiones etiam omnes hæreticos excitet & armet:
 vel *ultima*, nim. *doctrina veritatis cælestis*, quæ dicitur esse *fi-*
dei Christianæ, cum omnis hæresis circa depravationem alicu-
 jus *articuli fidei* versetur. Per *doctrinam fidei* verò intelligi-
 mus *doctrinam salutis*, in verbo Dei traditam, non autem à Ponti-
 fice Romano definitam, quod contra *Papistas* observandum. Sic
 enim scribit *Gregor. de Valent. tom. 3. Com. Theol. disp. 1. de ob-*
jecto fidei punct. 7. quæst. 6. Quotiescunq; Romanus Pontifex in
fidei quæstionibus definiendis, illa, qua est præditus, autoritate uti-
tur, ab omnibus fidelibus, TANQUAM DOCTRINA FIDEI, re-
cipi divino præcepto debet ea sententia, quam ille decernit esse sen-
sentiam fidei. Sic *Stapleton. lib. relect. princip. doctrinal. Fidei*
Controv. 6. quæst. 2. art. 1. Doctrina fidei, scribit, *tribus modis con-*
siderari potest. Primum ut regula summaria atq; contracta, qua
ipsum tantum totius fidei caput & fundamentum, quæ sitq; radicem
reclam comprehendit. Hanc regulam Christus tradidit, vocans eam
vitam æternam, quia semen ejus est. Hac est, inquit, vita æterna, ut
cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Chri-
stum Job. 17. Hanc Paulus vocat verbum fidei, quod prædicamus,
confiteri ore Christum JESUM, & corde credere, quia DEUS illum
suscitavit à mortuis Rom. 10. Hoc est verbum abbreviatum, & regu-
la brevissima fidei nostræ. Alio modo regula fidei consideratur, ut
in certos articulos distincta, capitales tamen & generales, quique
E multo-

multorum aliorum articulorum semina & principia sunt. Hac regula est Symbolum Apostolicum, quod principia fidei Christianæ complectitur. Tertio modo regula fidei considerari potest, ut ipsas fidei conclusiones omnes (non principia tantum) & notas determinationes, ab Ecclesia factas, vel in Ecclesia Catholica universaliter receptas & creditas, complectitur. Et hac est regula fidei explicata, qualem Concilia generalia postea ediderunt, novis semper incrementis (quoad explicationem) aucta. Ad TALEM FIDEI REGULAM non secus omnis fidelis, saltem implicite tenendam, obligatur, quam ad illam aliam, primo vel secundo modo dictam. Verum nimis late Doctrina fidei sic extenditur: nos autem novimus & quod omnis doctrina fidei sit in verbo Dei revelata, quodq; solum Dei verbum sit adæquata, vel integra credendorum doctrina. Materia in qua, vel subiectum, est vel ipsa Heresis, generaliter ita sumpta, quia πρῶτον ψεῦδος in heresi reperitur: nam sicut de speciali primo falso hereseos Calvinianæ dicitur, quod in heresi Calviniana sedem suam habeat, de primo falso papistico, quod in heresi papistica reperitur, & sic porro, sic idem de generali primo falso dicendum: vel ipse hereticus, qui tale primum falsum subjective recipit, mente suscipit, vanis suis cogitationibus illud hinc inde volvit, & verbis ac studiis suis exponit. Materiam ex qua si quis partes monstruosas primi falsi, nimirum privativam, quæ consistit in ignorantia, negligentia, vel despicientia veritatis, & positivam, quæ scripturæ sacræ corruptionem, vel etiam ipsius veritatis cælestis detorsionem complectitur, appellare velit, materialiter ex his partibus totum πρῶτον ψεῦδος constare, dicere poterit.

38. *Causa formalis primi falsi nec indagazione, nec explicatione, adeo facilis esse videtur. Et certe variæ sententiæ hic ordine prolixo recitari, vel etiam examinari possent. Nos aliquas saltem hic introducemus. Consistit autem πρῶτον ψεῦδος hæresium (I) non in Philosophia; licet enim Philosophiæ nullum in rebus Theologicis Dominium concedere, vel portiores eidem partes tribuere debeamus, quod nonnulli hæreticorum faciunt, qui Philosophiæ axiomata fidei mysteriis opponunt, tamen propterea neutiquam Philosophia πρῶτον ψεῦδος hære-*

hære-

hæresium parit. Dicuntur quidem *Philosophi, Patriarchæ hereticorum*, Tertulliano, quæ de causa sæpius etiam ab indoctis satis acriter reprehenduntur: verum *dist. inter Philosophos genuinos & adulteros, Theologia ministrantes & dominantes, doctrinam suam DEO, Deiq; verbo submittentem, & phantasiam suam DEO, Deiq; verbo præferentes: illi laudandi, hi culpandi.*

39. (II) *Nec in usurationis*: licet enim nostra ratio sit in rebus divinis non tam *imperfecta*, quam prorsus *nulla*, sit *cæca & fatua*, sicut vere dicitur à Paulo I. Cor. II. 14. *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: stultitia sunt ipsi, & non potest illa percipere*: tamen hoc intelligendum est de ratione sibi relicta, vereq; corrupta, quæ certe fecunda mater est omnis corruptæ cognitionis, omnis superstitionis, & falsæ, vel hæreticæ opinionis, quo pacto ratio potius in abusu, quam usu spectatur; & hæc corrupta ratio communis est hominibus extra & intra Ecclesiam viventibus, atheis & hæreticis, imò piis & impiis, cum etiam ratio corrupta sæpius piis cogitationes impias, scandalosas, imò blasphemias de Deo, rebusq; divinis, suggerat, quibus tamen per Sancti Spiritus assistentiam locum nullum concedunt.

40. (III) *Nec in Dialectica*. Certum equidem est, quod olim in Ecclesia primitiva, secundum Ecclesiasticæ historiæ traditionem, *Dialectici* multum negotii Patribus & orthodoxæ fidei Defensoribus dederint, & contra doctrinam Christianam tum gentilium idolomaniã, tum alias opiniones absurdissimas beneficio *Dialecticæ* defenderint, & satis speciosè mysteria Christianæ religionis oppugnaverint, multosq; seduxerint, & pessime non tantum apud simplices Christianos audiverint, sed etiam, tanquam omnium abominatorum & absurdissimarum sententiarum assertores ac defensores, in odio fuerint, sed hoc itidem factum est ex *Dialecticæ non vero usu, sed pessimo abusu*: *Dist. igitur inter Dialecticam in se consideratam, & ratione subditorum spectatam: illa bonum DEI donum est, hæc non tantum olim, sed adhuc hodie Christianæ religioni gravissima damna parit.* Licet ergo *Dialecticam non debeamus in cœlum eve-*

herē, & cum *Keckermanno*, vel aliis superciliosis *Dialecticis* divinos effectus eidem tribuere, sicut *Keckerm.* lib. 1. Syst. Theol. cap. 4. p. 57. scribit: *Deum lucem Spiritus Sancti per duas illas plane divinas disciplinas, Metaphysicam, & LOGICAM, in mentibus hominum vult accendere*: tamen non possumus eam vel rejicere, vel in legitimo suo usu, qui longe præstantissimo & fructuosissimus est, contemnere, vel etiam *πρωτων ψευδῶν* hæresium eidem tribuere, quamvis multum ad constitutionem, propagationem, explicationem & defensionem hæresium possit conferre, sicut experientia pro dolor id comprobat. Nam plerumque *heretici* quo sunt exercitiores *Dialectici*, eo pertinaciores sunt *mateologi*.

41. (IV) Nec in *scriptura sacra*, vel aliis, quæ *scripturæ sacræ* tum ratione DEI, tum ratione sui, tum ratione scopi conveniunt. Nam ratione DEI *scriptura medium divina voluntatis*, quo nobis tum legalem, tum Evangelicam voluntatem suam patefacere voluit; ratione sui medium *caelestis veritatis*: ratione scopi, vel etiam ratione nostri, medium *veræ cognitionis & salutis*: hæc scripta sunt, ut cognoscamus & credamus, quia *Jesus est Christus Filius DEI, & ut credentes vitam habeamus in nomine ejus Job. XX. 31.* Graves igitur errores *Papistarum*, quibus *scripturam sacræ* multis modis, tanquam *πρωτων* aliquod *ψευδῶν* hæresium, traducere conantur. Nam illam (α) non obscure *Librum hereticorum* faciunt & dicunt. *Justus Calvinus* Veteracastrensis in Tertull. lib. de præscript. adv. hæret. annot. in cap. 15. p. 51. 52. *Hæc, inquit, est OMNIUM HÆRETICORUM DE CIPULLA, ut errores suos melle SCRIPTURARUM fingant, & simplicibus, tanquam sanum donum, offerant. Ast piscatores toties icthi sapiamus, neq; hunc inimicis nostris gradum permittamus.* Et pag. 53. *Observent hoc Thrasones heretici, qui Catholicos in simulare diffidentia non erubescunt, cum ob cruentarum manuum contactum, quibus Harpiarum instar omnia faciunt, à sacro codice repelluntur, & ad majorum traditionem, tanquam compendiosius tribunal, vocantur. Non hæc diffidentia, sed confidentia est, amputatis AMBAGIBUS & CIRCULIS SCRIPTURARUM, possessionem & genuinam*

MAINARD

*nuinam usurpationem sibi vetustatis prescriptione vindicare, aliis
 crimine novitatis demere. Sic igitur scriptura hereticorum omni-
 um decipula, vel πρῶτον ψεύδος hæresium, mel, vel etiam cinctura
 hæresium, unde omnes ambages & circuli hereticorum proma-
 nant. (β) Per disputationem ex Scripturis statuunt, totum incen-
 dium hæresium exortum esse, quodq; cum hæreticis ex scripturis
 non sit disputandum. Albert. Pighius lib. 1 Hierarch. Ecclel. c. 4.
 fol. 16. fac. 1. lit. A. Cujus Apostolica doctrina si & nos memores fu-
 issemus, meliori sanè loco essent res Christiana. Sed dum ostentandi
 ingenii & eruditionis gratia cum Luthero in certam descenditur
 SCRIPTURARUM, dum ad publicas DISPUTATIONES (quæ in
 ejusmodi ad nihil valent, quam ad subvertenda audientium corda,
 & ad evitandas sub cineribus male consopitas hæreticæ pravitatis
 scintillas) provocatur; breviter, dum non vitantur hæretici, (vel
 dum EX SCRIPTURIS cum illis DISPUTATUR) excitatum
 est hoc, quod nunc probo dolor! Videmus incendium. Et fol. 15. fac.
 1. lit. B. Quid verò nunc est in manibus, quid cum hæreticis, qui
 sua nobis contra communem catholicæ Ecclesiæ fidem conantur per-
 suadere, faciendum est matris Ecclesiæ filiis? nunquid ad Disputa-
 tionis certamen in arenam cum illis descendendum est, ut SCRIP-
 TURARUM convincantur argumentis efficacioribus & evidenti-
 oribus? Tertulliano imprimis non videtur utile hoc consilium. Sed
 nec Paulo Apostolo: Hæreticum, inquit, hominem post unam atq; 2
 alteram correptionem devota, sciens, quia subversus est. Quid est,
 quod ait? Hæreticum de scripturis convinces? minime. Imo hæ-
 reticum hominem devota, quod disputando facere non possumus. Sed
 fortassis post unam & alteram correptionem. Corripendus igitur
 est, non disputatione convincendus hæreticus. Sic etiam (γ) scri-
 pturam asserunt esse litteram mortuam, quæ sit apta nata omnibus
 hæresibus applicari, & hac ratione πρῶτον quoddam ψεύδος
 pagina hereticorum gladiatorum omnium, ut habet Franciscus Co-
 sterus in Enchirid. cap. 1. p. 44. Ista (scripturæ externa) sunt littera
 mortua, scripta atramento in membrana, vel charta, quam si quis
 truncare velit, vel torquere, vel pravis expositionibus corrumpere,
 nihil sentiat. Illa vero (scil. scriptura interna, seu Ecclesiæ Ca-*

tholicæ consensus) cum scripta sit spiritu DEI vivi, in cordibus via
vix Ecclesia, truncari & torqueri se non sinit, sed sui per omnia simi-
lis perseverat. Proinde hoc est instar VAGINÆ, quæ quolibet
gladium admittit, non modo chaliceum, sed etiam plumbeum, ligne-
um, cereum: patitur enim se quavis interpretatione trahi. Illa
autem retinet in vagina verum gladium, nimirum genuinum sen-
sum scripturæ in codice literæ, non in solis characteribus, sed in sen-
su cernitur DEI verbum. Hinc etiam (d) dicitur scriptura Pa-
pistis Materialis, sicut patet ex Colloq. Wormatiensi anno 1557.
ubi disertis verbis Papistici Collocutores asseruerunt, quod scri-
ptura non sit vox iudicis, sed materialis. Et Vitus Miletus in
discuss. 600. error. loc. 1. in refutat. error. 5. pag. 25. satis audacter
pronunciat: De hac ipsa scriptura in illo Colloquio lis erat, de q̄ illa
illi ipsi vel in primis maximè litigabant, & tamen materiam esse litis
negant? Si materialis non est, de ipsa quomodo litigabunt? quo-
modo litigant, quomodo omnes litigant heretici? An ut supra, non
litigavit Arius? non litigavit Nestorius? non litigavit Pelagius?
non litigavit Berengarius? (e) Scriptura Sacra Papistis nasus ce-
reus, qui possit ad omnium hereticorum nutum, ad omnium here-
sium ortum flecti: Albertus Pighius in luculenta explicatione
Controversiarum præcipuarum in Comitibus Ratisponens. tra-
ctatarum contro. 3. de Ecclesia fol. 89. fac. 2. & fol. 90. fac. 1. Si
hanc inter nos introduxerimus libertatem & licentiam, ut in his,
quæ sunt religionis & fidei, obortisq̄ circa eandem questionibus &
controversiis, scripturarum tantum subiciamur auctoritati & judi-
cio, cum illæ variè intelligantur, pro cuiusq̄ captu & ingenio, nec
sit cuiusvis, nec facile veram earundem intelligentiam assequi (ex
quibus, dum quisq̄ magis suo, quam Ecclesiæ sensu eas intelligere co-
nati sunt, TOT PESTILENTISSIMAS HÆRESES ORTUM
TRAXISSE videmus) an non tot inter nos introducemus, tanquam
pugnantes de fide, religioneq̄, opiniones ac sententias, quot sunt, &
quam diversa hominum capita? Sunt enim SCRIPTURÆ, velut
CEREUS quidam NASUS: qui sicut horsum illorsumq̄, facile se
trahi permittit, & quo traxeris, haur invitus sequitur, ita & illa,
se flecti, duci, atq̄, etiam in diversam sententiam trahi, accommoda-

rig, ad quidvis patiuntur, nisi quis veram illam, inflexibilemque, ex-
rundem amussim, nempe ECCLESIASTICÆ TRADITIONIS
AUTORITATEM, COMMUNEMQUE SENTENTIAM, iisdem
adbibeat. Wilhelmus Linden. præfat. in panopl. Evang. Taceo,
quod nulla scripturæ testimonia (quæ ut vulgo videre est, ob facilem
ipsius in varias sententiarum formas flexum RECTE NASO fuit as-
simulata CEREO) ad quæstiones, nunc orbem prope universum per-
turbantes, definiendas ita rix proferas aut perspicua, aut efficacia,
quibus non oppositionum aliquot plaustra adversarii opponant, ut
eorum aut obfuscent claritatem, aut infirmant veritatem. Idem in
Apologet. pro religionis Catholicæ pace tom. 1. cap. 6. p. 29. Ex-
tant quidem plurima apud illos loca de sacra scripturæ obscuritate,
et intelligendi difficultate, quod ea à suo germano ac genuino sensu
(quem sola Catholica Christi vere habet, sempiternumque obtinebit
Ecclesia) separata, in varios ab hereticis trahatur errorum præte-
xtus: ut sic considerata, non autem (uti adversarii calumniantur)
vere, præbeat quidem non per se (ut cum Philosophis loquamur) sed
propter impiam imperitorum, temerariorum, sciolorum, ac imprimis
hereticorum temeritatem, LITIS MATERIAM, VEREQUE NA-
SO comparetur CEREO, cum hic alio, ille rursus alio, unã eandemque
scripturam inflectat, incurvet, atque obtorto, ut ajunt, collo trahat. (S)
Porro nonnulli Papistarum eò progrediuntur, ut translationem
scripturarum in linguas vernaculas pro fontibus omnium hæresium
venditent. Sic enim ipse Bellarm. scribit l. 2. de verbo Dei cap. 15.
Populus, inquit, non solum non caperet fructum, ex scripturis in lin-
guam vulgarem translatis, sed etiam caperet detrimentum. Accipe-
ret enim facillime occasionem errandi, tum in doctrina fidei, tum in
præceptis vitæ ac morum. Nam ex scriptura non intellecta ORTÆ
sunt OMNES HÆRESSES, ut ostendit Hilarius in externo libro de
Synodis. Quod etiam Lutherus agnovit, qui scripturam librum hæ-
reticorum vocavit. Et experimento idem comprobatur. Refert enim
Cassianus Collat. 10. c. 23. 4. 5. Anthropomorphitarum errores ex so-
la imperitia esse natos: et Æneas Sylvius in lib. de origine Bohemo-
rum, refert, errores crassissimos Thaboritarum, Orebitarum et alio-
rum, qui scripturas materna lingua legebant, et non intelligebant.

Quod

*Quod idem accidit Davidi Georgio, omnium hereticorum pestilen-
tissimo, qui nullam linguam noverat, nisi maternam, id est, Batavo-
rum, Et tamen ex scripturis collegerat, se esse filium Dei & Mesiam,
ut patet ex libro seu epistola, quam de illius erroribus ediderunt Ba-
silienses. Præterea si populus rudis audiret, lingua sua vulgari legi
ex Cantico Canticorum: Osculetur me osculo oris sui; & lava
ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me: Et illud
Osee: Vade, & fac tibi filios fornicationum, nec non adulterium
Davidis, incestum Thamar, mendacia Judith, & quemadmodum
fratres suos inebriavit Joseph: Sara, Lea & Rachel dederunt an-
cillas viris suis in concubinas, & multa alia eorum, quæ in scripturis
magna cum laude commemorantur. Vel provocaretur ad hujusmo-
di imitanda, vel contemneret sanctos Patriarchas, ut olim Mani-
chai. Vel putaret, mendacia esse in scripturis. Et cum multas appa-
rentes contradictiones esse videret, & solvere non posset, periculum
esset, ne tandem nihil crederet. Vid. Lorichius in novo Theologiæ
Thesaurò p. 1069. & alii papistarum communiter idem tradunt.
(f) auscultationem, vel etiam lectionem scripturæ sacræ notam es-
se non Catholicis, sed hereticis. Gregor. de Valent. anno 1582. d. 6.
April. Landsbergæ dixit: Tu si vis egregius esse catholicus, ne occu-
peris esse biblicus: quandoquidem bono Catholico sufficiunt ad sala-
tem Ecclesiæ Catholice decreta. Hujus, non Bibliorum placitis tuto
confidere potes. Sacerdos quidam Jesuiticus Henricus, alumnorum
Scholasticorum Principis Bavariæ Regens & Oeconomus anno
1584. ita discipulos suos allocutus. Libenter audire conciones
multas, & libenter ac sæpius legere sacræ scripturam, id profecto
non SIGNUM boni Catholici, sed potius HÆRETICI, qui se istis re-
bus, ceu simia nuce delectant. Verus autem Catholicus non multum
delectatur concionibus, quæ cito ceu ventus transeunt; neq; lectione
capitur Scripturæ, siquidem ea mortua est litera, quam non intelli-
git; sed unica ejus voluptas est, audire multas missas, & sæpius con-
fiteri. Hæc qui negligit, aut contemnit, gravius peccat, quam qui in o-
mni vita sua nullam unquam concionem audivit, nec Biblia vidit.
Hinc de Petro Bembo, Cardinale Romano, Georgius Fabricius, &
Alexander Alesius Comment. super 2. ad Timoth. recensent, quod
à Col.*

à Collega monitus, ut sacris literis daret operam, responderit: Semel in vita se scripturam sacram legisse, & valde fuisse offensum, & propter genus dictionis, & propter res ipsas; se nusquam apud ullum orationem legisse minus compositam & coherentem, atq; consentientem in omnibus partibus, & se amissurum id, quod reliquum haberet PIETATIS & lingvæ puritatis, si semel ad huc legeret Biblia sacra. Pietro Jesuita dixit: Bibliorum lectio citius hæreticum Lutheranum, quam Catholicum Romanum facit. Vid. Hasenmull. in Hist. Jesuit. c. 6. p. 192. seq. c. 9. p. 312. Plures nunc hypotheses Pontificiorum, quibus ipsam scripturam hæresum vel principium, vel artificium constituere satagunt, adducere nolumus, cum è dictis facile de affectu eorum in scripturam constare queat. Sed hoc cum recentioribus non tantum, sed etiam cum vetustioribus hæreticis commune habent, sicut jam suo tempore scriptor antiquissimus Irenæus lib. 3. advers. hæres. cap. 2. notavit: Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex auctoritate, & quia variè sunt dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem, ob quam causam & Paulum dixisse: Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi hujus. Et hanc sapientiam unusquisq; eorum esse dicit, quam à semetipso adinvenit fictionem, videlicet, ut digne secundum eos sit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Basilide &c.

42 (γ) Nec in Scripturæ negatione: nam hæretici tam audaces non sunt, ut scripturam simpliciter negare, vel repudiare velint, quales sunt Athei, qui nec Deum, nec Dei verbum agnoscunt: Epicurei, qui suis indulgent voluptatibus in diem vivendo, scripturam, vel Dei verbum repudiando: Pagani, vel gentiles, qui cum Ecclesiæ cives esse nolint, Ecclesiæ quoq; leges, in verbo Dei propositas, alto supercilio despiciunt: sed hæretici, dum Ecclesiæ cives esse volunt, scripturam sacram minime simpliciter rejiciunt. Nam hæreticus describitur, quod sit persona, in Ecclesiæ gremio constituta, doctrinam falsam, fundamento fidei contrariam, non sine malicia, & magno Ecclesiæ scandalo pertinaciter

F

defen-

defendens. Hinc nota, vel affectiones, aut requisita hereticum dicuntur (a) quod *omnis hereticus sit baptisatus, & in Ecclesia*: nam si foret extra Ecclesiam, non hereticus, sed paganus dicendus esset: (b) quod *erret in doctrina*, non in moribus, cum aliud sit hæresis, aliud impietas: prius doctrinam, posterius vitam Christianam corrumpit. (c) quod *error heretici sit fundamentalis*, cum non quilibet error, vel in verbis, vel in circumstantiis, aut rebus quæstionis, hæreticum faciat, unde communiter inter hæreticum & schismaticum distinguitur, quod is errores de fide, hic circa fidem, ille quoad dogmatum substantiam, hic quoad eorum circumstantiam foveat. (d) quod *error heretici sit malitiosus*, l. ad malitiam proxime accedens. (e) quod *periculoso scandalo scindat unitatem Ecclesie*. (f) quod *admonitus aliquoties, imò sæpius etiam convictus, errores tamen suos pertinaciter defendat*. Plerumq; vero heretici suos errores ex scriptura defendere satagunt, adeoq; scripturam extrinsecus repudiare nec possunt, nec volunt.

43. (VI) Sed *in scriptura corruptione, vel detorsione*: hoc prolixè tum *dictis*, tum *argumentis* probari posset, quorum aliqua saltem hic adducemus. Probatur id (I) *Ex testimonio Christi Matth. XXII. 29.* Cum enim Christus Salvator *hæresin Sadduceorum* vivis coloribus depingere, vel ejus naturam accurate describere vellet, dicebat ipsis: *πλανᾶθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς. Erratis, ignorantes scripturas*; quibus tum *formale positivum*, tum *privativum*, & *hæresum ipsarum*, & *πρώτη ψεύδης hæresum* exponit: nam *formale positivum & ultimum* consistit in *errore*, vel *corruptione*, qua corrumpebant *scripturam*, dum ex *Mose* resurrectionem mortuorum oppugnare contendebant v. 24. corrumpebant *veram doctrinam*, cum primis in articulo de resurrectione mortuorum, quam labefactare tanto molimine suscipiebant: corrumpebant *suam notitiam*, qua juxta fidem patrum resurrectionem mortuorum cognoscere debebant: corrumpebant *suam ἀγνοίαν*, qua contra mentem *DEI legislatoris*, & *Mosis*, *θεοπνεύτης legis Doctoris*, falsum ex utriusque verbis colligebant: corrumpebant *mentem suam*, quam per has corruptelas, tanquam infernales tenebras prorsus obscurabant: corrumpebant *suam linguam*, qua veritatem resurrectionis profiteri debe-

beo

bebant: corruppebant *Judeorum Ecclesiam*, quia suum errorem longe lateq; propagabant, & coram Christo promulgare nulli dubitabant: sic igitur mera corruptio hic reperiebatur: *formale privativum & subordinatum est ignorantia scripturae*, quæ non erat *pure negationis*, sed *prava dispositionis*. Quod autem Christus de *Sadduceis* dixit, illud pariter de cunctis aliis hæreticis intellectum voluit, cum omnes in, vel per hoc *πρωτον ψευδ* suum faciant, dum errant, & scripturas ignorant.

44.(2) *Ex testimonio Petri*, qui disertis verbis II. Epist. III. 16. scribit, quod *πρωτον ψευδ* hæresium ex eo sumat originem, quod *indocti & instabiles homines detorqueant scripturas ad suam ipsorum perditionem*: in quibus verbis primum falsum 2dum omnes causas describitur: nam (a) *Efficiens causa* non est DEUS, sed *homo*, non *qua talis*, sed quatenus est *partim ἀμαθής*, qui destituitur doctrina, divinitus in verbo Dei revelata, vel Ecclesie veræ doctrina, quæ sonuit inde à prima Evangelii promulgatione, nec in ea per orthodoxos Doctores vult informari, sed potius hanc doctrinam repudiat, & omnibus viribus oppugnat, *indoctis*, B. Luther. rectissime reddidit die *Ungelerige*: *partim ἀσθενης*, qui nullum habet *σηεγμα* sive *fundamentum*, in quo firmiter suam fidem habere queat, vel *fulcimentum*, quo vel ab extra fulciatur, sicut ædificium columnis, aut aliis externis adminiculis fulciri consuevit, vel *stabilimentum*, quo tuto nitatur, ut stare, vel consistere valeat, *instabilis, inconstans*, qui sit *parum firmus* in religione Christiana, *non firmatus, nec fundatus* in veritate cœlesti, qui certo *destitutus solido verbi Dei fundamento*, qui doctrinæ vento quovis moveatur, ut homo *levissimus*, vanis suis speculationibus, falsis & absurdis opinionibus, quibusvis Diaboli tentationibus & mendacibus afflatibus, à tramite cœlestis veritatis dimoveatur: usus etiam Apostolus est hac voce c. II. 14. *δελταζοντας ψυχὰς ἀσθενεῖς*, *pellicientes animas instabiles*, quod falsi Doctores animas in fide & pietate non satis fundatas atq; firmata alliciant, verbis adulatoriis & adulteratoriis persuadeant, ut eas seducant. Hier. in h. l. reddit: *decipiunt animas nec dum in charitate Christi robustas Christus Matt. XIII. 21. Marc. IV. 17. Luc. IX. 13.* sic eos describit, quod non habeant in se radicem. (b) *Causa*

formalis exhibetur per verbum *σπρεβλῆσις*, *detorqueant*, *depravant*, in alienum seu peregrinum prorsus sensum trahunt: & verbum hoc *generaliter* *omnis generis* *torturas* insinuare videtur, quod nim. *torqueant*, *contorqueant*, *distorqueant*, *extorqueant*, *retorqueant*, *detorqueant*: quia hæretici scripturas sacras non tantum *simpliciter torqueant*, ut sensum verum in falsum transmutent, sed etiam quæ *distincta*, vel etiam *disjuncta* sunt, *violenter contorqueant*, ea, quæ sunt *eadem*, vel *conjuncta*, vel alias *coherent*, crudeliter *distorqueant*, verum & divinitus intentum sensum fallaciter *extorqueant*, & *scripturas* tamdiu *retorqueant*, usque dum malitiose peregrinum sensum *subinferant*, & loco veritatis cælestis malitiose sua mendacia, suas fallacias, suas hæreses substituunt, & sic damnabiliter simplicissimas, innocentissimas, purissimas & planissimas scripturas sacras prorsus *detorqueant*, *pervertant* & *evertant*. Nam *metaphora* ducta dicitur à *carnificibus* & *aliis tortoribus*, qui sæpius homines innocentes ita *torquere*, *contorquere*, *distorquere*, *retorquere*, consueverunt, ut prorsus eos *detorqueant*, quo nec humanam staturam aut similitudinem retineant, donec, quod intendunt, *extorqueant*, ut contra suam scientiam & conscientiam aliquid proferant: sic etiam hæretici modis omnibus contra scripturas simplices & planas cujusvis generis *torturas* adhibent, easque tamdiu hinc inde *torquent*, ut loco veri sensus peregrinū & hæreticum sensum *extorqueant*.

(c) *Causa materialis* est ipsa *scriptura sacra*, qua ratione Petrus tum *objectum speciale*, tum *generale* h. l. introducit: *objectum speciale* sunt ea, vel in *Epistolis Paulinis*, vel in *aliis Canonicis libris*, quæ sunt *intellectu difficilia*, vel propter *rerum sublimitatem*, vel propter *humane mentis obscuritatem*, vel propter *nostram imbecillitatem*, vel propter *Prophetiarum nondum impletarum qualitatem*, vel aliis de causis: siquidem hæc praxis hæreticorum, ut ejusmodi loca vel *controversa*, vel *difficilia*, prius in præjudiciū veritatis & prætextum falsitatis arripiant: mox a. in omnem scripturā involant, & *ceteras etiam scripturas* depravant.

(d) *Causa finalis*, quod non alio tendat hæc *tortura*, l. *corruptio hæretica*, quam ad *propriam ipsorum perditionem*: siquidem & seiplos mendacibus dogmatibus perdunt, & simul eos, quos seducunt.

45. (3) *Ex Diaboli praxi: Nam Diabolus, & Archibareticus vel princeps hereticorum, & Pater, vel Autor omnium hereticorum appellatur: ipsius igitur praxis, qua tum hereses incipit, tum instruit, tum perficit, attendenda venit. Qualis enim praxis ejus, talis etiam praxis omnium hereticorum; & quod ipse, tanquam πρωτων ψευδων, in omni praxi sua respicit, & ad quod omnes hereticos impellit, illud citra dubium primum falsum erit. Nos potissimum hic egergemnam Diaboli praxin annotabimus, & ex ea primum principium & stratagema palmarium Cacodemonis observabimus. (a) Praxin primam, qua potissimum usus est in protoplastorum seductione, vel omnium heresum introductione Gen. III. 1. seqq. Ea non est alia, quam verbi, vel mandati divini detorsio. Nam protoplastis nostris Deus dederat hoc mandatum Gen. II. 16. Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientia boni & maline comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, mortem morieris. Brevis est haec revelatio, non tamen ipsi defuit Diabolica detorsio Gen. III. 10. Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Tot enim verborum Domini detorsiones in verbis his brevissimis inveniuntur, ut eas vix sagacissimo indagare, vel explicare valeat: unam vel alteram, quae cuilibet intuitu primo statim apparet, breviter indicabimus. Detorquet enim verbum & mandatum Domini (1) fallacia equivocationis, dum verbis primis **NON** sine sufficienti determinatione, vel explicatione utitur, unde redduntur ab aliis. *Etiam quia*, juxta sententiam R. D. Kinebi, qui dicit esse truncatam in verbis Diaboli sententiam. Nam inter alia, quae serpens mulieri dixit, v. g. Deus odit vos, vel non recte prospicit vobis &c. *Etiam quia dixit, non comedetis ex omni arbore:* ab aliis redduntur cum LXX. & Fulgato: *Cur praecepit vobis Deus:* ab aliis *Etiamne praecepit Deus:* ab aliis exponitur per **NON** ut habet Schindlerus in voce **NON**, quasi dixerit serpens: *An etiam ita est, quod dixit Deus: Verumne est?* Ambros. de paradisi. cap. 13. *Quid utique dixit DEUS.* August. de Genes. ad lit. lib. II. cap. II. *Quid? quid dixit DEUS?* ab aliis aliter exponitur. (2) fallacia amphibologias; nam ambiguum dicitur: *ut non comederetis ex omni ligno paradisi:* nam particula, *Non*, pro diversa suppositione, vel relatione parit maximam ambiguitatem, quia modo particularitatem infert, quando non omnis dicitur*

æquipoſſere τὸ *quidam*, quaſi diceret, *Non ex omni*, ſive *quo-*
libet ligno comedetis: Num præcepit Deus, ut non comedatis ex
 quolibet ligno? modo notat *universalitatem*, quia ſerpens eam ſim-
 pliciter toti præpoſuit orationi: Deus enim dixerat *Gen. II. 17. Ex*
omni ligno Paradifi comedite: Satan huic orationi particulam *Non*
 præfigit *לֹא תֹכְלוּ מִכָּל עֵץ הַגַּן*, *NON comedetis ex omni ligno*
paradiſi, q. d. non ex alio comedetis. (3) *fallacia Compositionis*, quia
 diſtineta confundit, & diſjuneta conjungit, præcepta & prohibita
 in unam maſſam, vel orationis formam contrahit. Deus enim de-
 derat præceptum *Gen. II. 17. Ex omni ligno paradifi comedite*: Item pro-
 hibitionem & interdictum: *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne*
comedas, in quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. Hæc
 per *compositionis* fallaciam confundit Diabolus inqviens: *Etiame*
Deus præcepit vobis, ut non comederetis ex omni ligno paradifi? (4)
Fallacia diſiſionis, quia partem priorem mandati divini ſeparat à po-
 ſteriori, & hac omiſſa fraudulentè illam ſaltem attendit. (5) *falla-*
cia proſodias, vel etiam *conſtructionis*, aut *pronunciationis*, ad quam
 refertur omnis fucus orationis, qui per ſubdolam conſtructio-
 nem, pronunciationem, aut ironicam elocutionem committitur.
 Ita ſerpens particulam *NON* ex poſteriori parte mandati trans-
 fert in priorem, ex interdicto in mandatum, & ſic ironicè verbis
 DEI per ſophiſticam detorſionem abutitur. (6) *fallacia figura diſti-*
onis, quia Dei mandatum *affirmativum* in *negativum*, *aperum affer-*
tum, in *dubium*, *ſimplicem ſermonem*, *absolutum* in *interrogativum*
 &c: convertit, vel ſophiſtice transformat. (7) *fallacia accidentis*,
 quia quod *per accidens* ipſe Spiritus aſtutus, tanquam pater men-
 daci de verbo DEI concipiebat, quod tentando *per accidens* infe-
 rebat, & ſeducendo *per accidens* intendeat, illud quaſi per ſe falla-
 citer ex verbis Domini colligebat, & Evæ proponebat. (8) *fallacia à*
diſto ſecundum quid ad ſimpliciter: nam Deus ſecundum quid eſum
 de fructibus paradifi, quoad arborem ſcientiæ boni & mali, prohi-
 buerat *Gen. II. 17. ſerpens autem ſimpliciter & promiſcue* de qui-
 buſvis arboribus hoc accipiebat, & ſophiſtice per malicioſam de-
 torſionem urgebat. (9) *Fallacia ignorationis Elenchi*, quia directe
 verbis Domini contradicere primum nolebat, verum ſophiſtice
 controverſiæ vel quæſtionis ſtatum involvebat, ne ſtatim Eva do-
 lum

lum perlentisceret, eumq; mendacem deprehenderet: hinc non aperte verbum Dei negat, nec legem Dei falsam esse proclamat, sed alienam quæstionem, quasi vel omnes, vel plerasq; fructuosas arbores Deus hominibus in paradiso prohibuerit, σοφιστικῶς adornat. (10) *Fallacia perititionis principii*, quia Spiritus impudentissimus tacite supponit, aut sibi concedendum esse prætendit, quod maxime falsum erat, quasi Deus præceperit, *ut non comederent ex omni ligno paradisi*: falsum principium prætendit, & verum evertere, vel ad minimum dubium efficere contendit. (11) *Fallacia consequentis*, quia Deum vel odii, vel invidiæ, vel alius affectus mali postulare conatur ex eo, quod aliquod lignum, videl. arborem scientiæ boni & mali, hominibus non concesserit: quæ sunt scopæ dissolutæ, minimeq; cohærent, cum & arborem vitæ, & reliquas arbores universas in usum eis donaverit, & longe plura, vel etiam majora protoplastis dederit. (12) *Fallacia causa*, quia prohibitio ligni paradisiaci, tanquam causa dubitationis & negationis verbi producit, quæ tamen talis non erat, sed cum veritate verbi, vel mandati divini consistebat. (13) *Fallacia plurium interrogationum*, quia multas quæstiones hic serpens cumulat, ut institutum seductionis obtineat, nim. *An Deus præceperit, ut non comederent ex omni ligno paradisi? An verus hic præcepti sensus fuerit? Cur Deus id præceperit? Annon ex invidia, vel odio id fecerit? &c.* Hac ratione videmus *Archisophistam* Diabolū, in hac *praxi falsationis hæreticae, vel detorsione scripturæ primariæ*, fallacias omnes Philosophorum adhibuisse, tantum ut primordialem Dei legem, fundamentum veritatis, veri q; cultus divini, corrumpere, & πρῶτον ψεῦδος & hæresium ostenderet. (b) *in praxi primaria*. Nam Cacodæmon hanc praxin primariam contra Christum Salvatorem quo nec major, nec potentior esse potuit, adhibere, suasq; vires omnes intendere voluit, ut hunc Adamum novissimum ad errores & lapsum seduceret: sed hæc primaria praxis etiam in detorsione scripturæ consistit *Matth. IV. 6.* quia *Psal. XCI. u.* non sine depravatione producit inqviens: *Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quia angelis suis mandabit de te (sed omittit, ut custodiant te in omnibus viis tuis) & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* (c) *Ex praxi continua*, quæ tanquam Spiritus mendacii, vel mendacis verbi Dei detorsionis, Pseudoprophetas

phetas

phetas instruit. I. Reg. XXII. 22. & cum his omnes hereticos, ac verum Dei verbum suis detorsionibus corrumpit.

46. (4) *Ex opposito*: nam principium primum cognoscendi veram Theologiam dicitur secundum alios divina revelatio, secundum alios ipsum Dei verbum, ut pote quod unicum est medium divinæ revelationis, & hodie scriptura sacra, quæ tota l. omnis Dei revelatio de fidei Christianæ capitibus modo continetur, vel secundum alios, DEUS DIXIT, DOMINUS DIXIT &c: cum omnes Theologicæ conclusiones ad hoc unicum, primum, summum & æquatum principium revocentur: id quod prolixè demonstrari posset, cum fides christiana non ex rerum perspicuitate, sunt enim mysteria humanæ rationi prorsus obscura; nec ex mysteriorum qualitate, quia nostram rationem maxime transcendunt, nec ex nostræ rationis capacitate, quia nihil proportionis inter rationem humanam & veritatem mysteriorum sublimem atq; verè caelestem invenitur, dum juxta Paulum, animalis homo non percipit ea, quæ Spiritus Dei sunt, stultitia sunt ipsi, nec potest illa cognoscere 1. Cor. II 14. sed è dicentis vel revelantis autoritate seu majestate pendeat, & quæ alia magno numero possent augeri. Jam autem de oppositis oppositum ferendum judicium, adeoq; τῶν πῶτον ψευδῶν falsa doctrina, vel in universum omnium hæresum erit, verbi divini corruptio, vel Scripturæ Sacre detorsio, vel ipsum Diaboli mendacium, aut Cacodæmonis verbum, ad Scripturarum Sacrarum corruptelas adhibitum, quod verum sensum verbi Dei εὐφραδῶς aufert, & adulterinum Archibaretici sensum verbis infert, ut sic omnis hæresis, vel etiam opinio heretica non ad aliud principium primum, quam ad verbi Dei detorsionem revocari queat. Plura quidem alia nunc argumenta producere, & operosius urgere possemus, sed è dictis res omnis satis est manifesta.

47. Denique de sine quoq; nunc agendum esset, sed angustia pagellarum multa non admittit; breviter dicimus, quod *sinis* alius sit *jubordinatus* nim. *Hæresis*, vel *Error hereticus*, ad quem primum falsum falsum respicit, quem etiam executione sua producit: alius *Ultimatus* nim. *hæreticorum perditio*, quæ juxta II. Pet. III. 16. scripturæ detorsiones sequitur. Hæc modo sufficient, nos

tantum adjicimus.

SOLI DEO SIT GLORIA.

Coll. diss. A. 25, misc. 83